



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

Liber LXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER LXIV.



URBANUS II. PAPA.

HENRICUS IV. IMPERAT. OCC. ALEXIUS
COMNENUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Ivo Episcopus Carnotensis.

Geofridus Episcopus Carnotensis a Le- Sæculum XI.
gato Pontificio, Hugone Diensi, bis A. C. 1092.
depositus & a Gregorio VII. Papa Sup. lib.
bis restitutus, apud Urbanum II. Papam LXIII. §.
iterum Simonix, concubinatus, adulte- 15.
rii, perjurii, & proditiōnis accusatur. Urb. ep. 8.9.
Ergo Papa, postquam in rei veritatem Ivo ep. 8.
diligenter inquisivisset, Geofridum præ-
sentem ad Episcopatum simpliciter &
nulla

Sæculum XI nulla addita conditione abdicandum
 A.C. 1092. compulit, qui se, ut jubebatur, Episcopi-
 pali munere indignum confessus est. Popu-
 lum deinde & Clericos Carnotenses
 datis literis hortatus est, ut Electione
 Canonica Ivonem Presbyterum & S.
 Quintini Belvaci Præpositum, cujus viri
 merita jam diu sibi perspecta habebat,
 in Episcopum sibi cooptarent. Riche-
 rium Senonensem quoque data epistola
 Urbanus II. de sententia in Geofridum
 lata certiore fecit, rogavitque, ut Ele-
 ctioni alterius faveret, & electum conse-
 craret. Porro Clerici populusque Car-
 notensis Ivonem, quod Pontifex optabat,
 Episcopum elegerunt, Regique Philippo
 præsentarunt, a quo in signum Investitu-
 ræ Baculum pastorem accepit. Cum
 vero ab Archiepiscopo Richerio pete-
 rent, ut eum ordinaret, recusavit ille di-
 cens, Depositionem Geofridi non fuisse
 legitimam, ejusque causam prius ad se,
 Provinciæ hujus Metropolitanam, quam
 Romam deferendam fuisse.

sp. 3. Ivo data ad Papam epistola conque-
 stus est, quod tantum humeris suis onus
 imponere voluisset, adjungens, nunquam
 se electioni consensurum fuisse, nisi Cle-
 rici Carnotenses, id Summum Pontifi-
 cem velle & districte præcepisse, sancte
 affirmassent. Ergo Romam profectus
 est, cum Ecclesiæ Carnotensis Legatis,
 qui

qui cum querelam movissent, quod Archiepiscopus Senonensis Ivonem ordinare recusasset, Papa, ut sine noxia mora Ecclesie vacanti pastorem daret, Ivonem, sub finem Novembris anno millesimo nonagesimo primo suis manibus ordinatum, remisit, cum duabus epistolis, una ad Clericos populumque Carnotensem, & altera ad Richerium Archiepiscopum datis. In utraque sub poena excommunicationis prohibet, ne Geofridus quodcumque demum moliri audeat, quo sibi reditum in Sedem Carnotensem pararet, & ne ullus Fidelium id tentanti faveat. In epistola ad Archiepiscopum dicebat: *Ivonem ordinavimus, salva, quam Ecclesie tue debet, obedientia. Id ergo precibus nostris te daturum speramus, ut praeavorum memoriam abjicias, Ivonem benevole suscipias, & in regenda sua Diocesi tuo auxilio leves.* Hæ epistolæ vigesima quarta & vigesima quinta Novembris datæ. Quibus subjunctus est sermo Pontificis ad Ivonem; sed nihil est aliud quam formula illius Doctrinæ, quam Consecrator Neo-Episcopo suggerere solebat, & quidem de verbo ad verbum, qualis in fine Pontificalis Romani legitur, nisi quod formula Urbani Papæ sit multo brevior, illiusque solummodo initium & finem referat.

Ivo

Sæculum XI.
A.C. 1092.

Urb. ep. 8. 9c

Saeculum XI. Ivo Carnotensis possessionem Eccle-
 A.C. 1092. siæ suæ non ante annum sequentem mil-
 lesimum nonagesimum secundum adiit,
 unde ab hoc etiam anno plerique ejus
 Pontificatum recensent, quem annis vi-
 ginti tribus obtinuit. Is in territorio,
 vit. Joan. *Beauvoisis* vulgo dicto, nobilibus paren-
 tibus in lucem editus, postquam amœ-
 nioribus Musis & deinde Philosophiæ va-
 casset, ad Abbatiam Beccensem venit
 Scientiæ Theologicæ, Lanfranco Magi-
 stro, operam daturus. Tum cum Gui-
 do Episcopus Belvacensis, olim Decanus
 S. Quintini in Territorio Veromanduo-
 rum, anno millesimo septuagesimo octa-
 vo, Monasterium Canonicorum Regulari-
 um prope urbem Belvacum in hono-
 rem hujus S. Martyris fundasset, in eo
 Ivo institutum Canonicorum amplexus
 est, datis literis, quibus patrimonii sui
 agros donatione in Monasterium trans-
 ferebat. (*) Illi Congregationi postea,
 sive nomen Præpositi, sive Abbatis gerens,
 præfectus Theologiam docuit, & vastam
 suam Canonum Collectionem, sub nomi-
 ne Decreti notam, composuit. Cujus
 operis Ideam ipsemet in sua Præfatione
 explicat in hunc modum:

§. II.

(*) In hoc Saeculo Undecimo videmus, Mona-
 steria Canonicorum Regularium fundari coepisse.

§. II.

Sæculum XI.
A. C. 1092.*Decretum Ivonis Carnotensis.*

Non sine labore in unum Corpus collegi Legum Ecclesiasticarum Excerpta, tam ex Epistolis Pontificum, quam ex Actis Conciliorum, ex Scriptis Patrum, & Regum Catholicorum Constitutionibus, eo consilio, ut, quibuscunque hæc Scripta ad manus non sunt, inde quæ suæ causæ prodessent, accipiant. Initium ducimus a Religionis Christianæ fundamento, nempe a Fide; tum in varios Titulos congerimus, quæ ad Sacramenta, ad morum Regulas & Judicium causarum spectant, ita ut quilibet facile quod quærit, invenire queat. Lectorem vero prudentia præditum monendum esse censuimus, ne, si quod legit non satis intelligat, aut aliqua sibi ipsis adversari credat, in iis damnandis præceps sit, sed studiose discernat, quæ secundum rigorem Juris vel secundum indulgentiam affirmantur; nam totum Regimen Ecclesiasticum Cbaritate nititur. Auctor deinde fusius docet, ex eodem principio fluere, quod Ecclesia jam Canonum rigori inhæreat, jam eundem pia indulgentia relaxet. Speciatim putat, prudenter factum, quod Patres antiquum rigorem de Translatione Episcoporum temperaverint. Totum Opus dividitur in Partes septendecim, quarum singulæ permul-

Sæculum XI. permultos Articulos, puta ducentos trecentosve, complectitur. Decretales falsæ ipsi æquali in pretio sunt ac veræ. Inter Leges Principum Christianorum, Codicem Justiniani, Digesta haud diu ante iterum inventa, & Regum nostrorum Capitularia, adducit. Ceterum Ivo plerumque Buchardum Wormatiensem ita exscribit, sicut antea Buchardus Reginonem, eosdem errores præsertim in Inscriptionibus Articulorum admittens. Sed illa ætate possibile non erat, ut quisquam privatus omnes Libros Autographos, ex quibus tot Textus excerpti sunt, ad manus haberet.

*Sup. lib.
LVIII. §.
52.*

§. III.

Concilium Stampense.

Ivo. ep. 8. Richerius vero Archiepiscopus Senonensis, indigne ferens, quod Ivo a se repulsus Romam ad accipiendam a Papa Ordinationem ivisset, epistolam ad eum dedit, amaro calamo exaratam, in qua contemptim nec Episcopum compellabat nec fratrem, exprobrans, quod provinciam suam turbaret, & Episcopi Geofridi, quem ipse pro deposito non habebat, Sedem usurparet. Respondit Ivo: *Si tibi homo extraneus sum, cur in Judicium vocas? cur vis, ut tibi obedientiam præstem? contra Sedem Apostolicam palam insurgis, cum destruere conaris,* quod

quod illa edificavit, & propriam famam
 perdis, cum Episcopum appellas, & omnibus
 viribus restituere niteris, Hircum emissarium,
 cuius adulteria, libido, perjuria, proditio-
 nes in tota ferme Ecclesia Latina lippis & tonsoribus nota sunt, cui denique
 ne faveas, aut Ecclesiam Carnotensem iterum
 invadere molientem defenderes, Papa, nisi excommunicationis fulmine feriri
 non formidares, prohibuit.

In Benedictionem, qualemcunque, ut
 ais, quam a manibus Papæ & Cardinalium
 accepi, ludis irrisor, quasi vero Sacræ
 Sedis non esset, Ordinationes tam Metro-
 politarum, quam aliorum Episcoporum
 confirmare vel infringere, Constitutiones
 vestras & Judicia ad examen vocare, sua
 vero nulli inferiorum suorum retractationi
 subjicere? Ivo deinde affert testimo-
 nia S. Gelasii & S. Gregorii, ut ostendat,
 Papæ Judicia nulli examini esse subje-
 cta. In fine ait, se, quamvis non satis
 Canonice citatum, in locum tutum Pro-
 vincia Senonensis, ac etiam Stampas,
 venturum, si modo sibi a Comite Ste-
 phano fides publica daretur, quæ tam
 nomine Regis, quam Archiepiscopi ipsum
 securum præstaret. Stephanus erat Co-
 mes Carnoti & Campaniæ; latrocinia
 vero in toto Regno grassantia etiam bre-
 vissimum iter facientes ad hujusmodi
 præsidia sibi paranda cogebant.

Hist. Eccles. Tom. XV.

T t

Ita-

Sæculum XI.
 A. C. 1092.

Sæculum XI. Itaque Richerius Archiepiscopus Con-
 A.C. 1092. cilium Stampis celebravit, auctore potis-

Iv. ep. 12.

Gall. Chron.

simum Geofrido Episcopo Parisiensi, ma-
 gnæ auctoritatis viro. Erat is Eustachii
 Comitis Bononiensis frater, & patruus
 Godefridi Bullionii, postmodum celebra-
 tissimi. Apud Regem Philippum fun-
 gebatur munere Cancellarii vel potius
 Archicancellarii, plures enim alii sub
 ipso hoc officium præstitisse leguntur.
 Porro etiam Episcopus Carnotensis Geo-
 fridus ipsius Nepos erat, unde Episcopus
 Parisiensis ejus causam defendendam in
 se fervide susceperat. Concilio ergo
 Stampensi interfuit cum Episcopis Mel-
 densi & Trecensi ad illam provinciam
 pertinentibus, & eodem partium studio
 ductis. In eo Archiepiscopus Ivonem
 Carnotensem accusavit, quod a Sacra Se-
 de Consecrationem accipere, spreta Re-
 gia Majestate, præsumpsisset. Jamque
 Ivonem deponere & Geofridum restituere
 parabat; sed Ivo ad Papam appellans
 Judicium moratus est. Hæc discimus
 ex epistola Ivonis ad Papam data, in qua
 addit: *Necessarium mihi videtur, ut, da-
 ta ad Archiepiscopum & ejus Suffraganeos
 communi epistola, præcipias; vel pacem
 meam turbare desinant, vel mecum
 ad præsentiam tuam Romam se conferant.
 Suadeo etiam, ut in nostras Regiones Le-
 gatum mittas, virum integrum, fama
 præcel-*

præcellentem, & a pecuniæ cupiditate alienum; tali enim Ecclesia indiget, in qua quisque facere audeat, quod lubet, & quod pejus est, impune audeat.

Sæculum XI,
A. C. 1092.

§. IV.

Error Roscelini Compendiensis.

Sub idem tempus Renaldus Archiepiscopus Remensis Compendii Synodum celebravit, in qua damnatus est error Roscelini, Doctoris celeberrimi, sed melioris Dialectici quam Theologi. Dicebat, in Deo tres Personas esse totidem res ab invicem separatas, sicut sunt tres Angeli. Ita tamen ut una sit voluntas & potestas. Secus, ipsius opinione, etiam Pater & Spiritus Sanctus fuisset incarnatus. Addebat, tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. Ut sibi auctoritatem conciliaret, Lanfrancum, Archiepiscopum Cantuariensem, in ea sententia fuisse mentiebatur, pro qua etiam falso laudabat S. Anselmum Beccensem Abbatem.

to. 10. Conc.
p. 484.

Hoc errore comperto, Anselmus Fulconi Episcopo Belvacensi, quondam Discipulo suo, scripsit in hæc verba: *Credo, Lib. II. ep. 41.*
te interfuturum Concilio, quod Archiepiscopus Remensis brevi ad discutiendam banc causam celebraturus est. Quæ nomine meo, si opus fuerit, respondere debeas, doctissimo. Quod vero ad Lanfrancum Archiepiscopum.

T 2

episco-

Sæculum XI. *episcopum spectat, plurimi viri virtute &*
A.C. 1092. *doctrina inclyti, quibus perspectus erat*

Archiepiscopi de Divinis sensus, testes sunt, eum hujusmodi errorem nunquam verbis prodidisse. Ut nihil dicam, turpe esse, mortuum accusare. Ego autem volo, ut sciat universus orbis, me illa credere, qui in tribus Symbolis continentur. Quicumque aliquid eorum negat, & speciatim qui blasphemiam illam affirmaverit, quæ Roscelino tribuitur, anathema sit! a tali homine non exigendum argumentum erroris sui, nec ei ulla veritatis, quam tenemus, reddenda est ratio. Simplicissimum enim esse oportet, qui putat fidem nostram, solide stabilitam, ad examen vocari debere, quotiescunque privatus aliquis, eam non capiens, insanierit. Fides nostra ratione & argumentis contra Infideles probanda est, non autem contra illos, qui Christianorum nomen gerunt. () Rogo te; banc epistolam ad Conci-*

(*) Præclara sane Doctrina! Hoc præcipue Luthero, Calvino eorumque Discipulis in principio funesti Schismatis objiciendum erat, sive quæstiones de Fide, sive de Prærogativa Romanæ Ecclesiæ moverent; nam pervicaces facilius & fortius auctoritate quam argumentis prosteruntur. Illud imprimis inculcandum erat Christi Domini effatum; Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth.

Concilium ipse defer, aut si te illuc non conferas, cura, ut a quoquam tuorum Episcopis convenientibus reddatur, & palam, si necesse sit, recitetur.

Sæculum XI.
A. C. 1092.

Venit Compendium ad Concilium Roscelinus, ubi erroris convictus ad eum ejurandum compulsus est. Verum postea eandem Hæresim docuit, obtendens, quod huic doctrinæ fide & metu mortis nuncium dixisset, ne occideretur a populo. Ivo Carnotensis Roscelino exprobravit, quod ad vomitum rediisset, hortatus, ut serio errorem retractaret, & scandalum Ecclesiæ datum auferret.

Lanfran. de incarn. c. 1.

Ivo. ep. 7.

§. V.

Fulco Episcopus Belvacensis.

Fulco Episcopus Belvacensis illustri familia in illa Provincia natus, vitam

T t 3 mona-

Matth. 18. Item, illud Beati Pauli: quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 2. ad Thessal. 3. 15. Dicunt quidem Protestantes cum Mosheimio in der Vorrede zu einer Rehergeschichte. Die Kirche kann fehlen. Der wahre Glaube hat können ohne sichtbare Anhänger seyn. Sed Deum immortalem! cum dixerit Dominus ad Petrum: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. Quale ædificium construxisset Jesus Christus, quod errare, id est, corruere potuisset? & qualis Fides, quæ sine ullis Fidelibus cognoscibilibus omnium hominum existimatione utique nulla fuisset?

Sæculum XI. monasticam in Abbatia Beccensi profes-
 sus, compluribus annis sub disciplina

A.C. 1092. Lanfranci & deinde Anselmi fuit. Epi-
 scopus electus onus subire recusabat,
 consilium expetens ab Anselmo, qui sua-
 sit, ut Dignitatem reciperet, quam sine
 peccato repellere non posset, atque hor-
 tatus est, ut Regis, Clericorum Belva-

Ansel. 1. ep.
 52. censium, aliorumque, & Archiepiscopi
 Remensis consentientis voluntati cederet.
 Nihilominus fuere, qui ordinationi
 Fulconis obsisterent, causa Romam

II. ep. 23. delata; sed quamvis Urbano Papæ videretur,
 in hac electione non nihil contra
 Canones pugnare, & Fulco adhuc dum
 reluctaretur, eum tamen hanc Ecclesiam
 regendam suscipere iussit, motus præpri-
 mis auctoritate Anselmi, qui neminem
 Fulcone huic muneri aptiorem esse per-
 scripserat. Quare Papa Anselmo præcepit,
 ut vigili oculo Neo-Episcopum obser-
 varet, consiliis adjuvaret, & si ipse ei
 adesse non posset, saltem hanc curam
 cuiquam Monachorum suorum committeret.

ap. Ansel. 2. ep. 32. At tanta cautela turbas remove-
 re non potuit, quibus Fulco in Episcopatu
 conflictatus est. Justitiæ amor forsan
 necessaria prudentia destitutus multo-
 rum odium ipsi conciliavit. Canonicos
 Presbyterosque suæ Diocæsis offendit,
 quod prævios eorum mores emendare, &
 præci-

præcipue cum concubinis libidinandi
 consuetudinem abolere cuperet. Præter
 ea prohibebat, ne Præbendas suas quasi Ju-
 re Hæreditatis relinquerent filiis e sacri-
 lego commercio natis, quos, Altaris mi-
 nisterio indignos, ab Ordinibus repelle-
 bat. Iram Laicorum quoque in se con-
 citavit, invasionem Bonorum Ecclesiasti-
 corum damnans. Ut armis Spirituali-
 bus majus robur tribueret, iis tempora-
 lia jungebat, & mandatis Archiepiscopi
 Lugdunensis, Legati Pontificii, non ut
 par erat obsequebatur. Quod ex moni-
 tis Ivonis Carnotensis ad eum directis
 cognoscimus. *Ivo. ep. 30.*

Itaque Fulco Belvacensis a variis Ad-
 versariis tam in Concilio provinciali,
 quam in Judicio Pontificis accusatus est,
 quod pluribus vim injustam intulisset,
 tandemque res eo devenit, ut Anselmus
 Papæ de his turbis scribendum esse exi-
 stimaret in hæc verba: *Fulco in sua Dia-*
cesi nemini prodest, & sibi ipsi cavere ne-
scit. Ego & omnes illi mecum, quibus
ipsius ingenium perspectum est, in futurum
pejora ominamur. Non ideo equidem
quod mala sint, quæ molitur, sed quod tot
inimicis propulsandis, & devitandis insi-
diis par non sit. Cum ergo timeamus, ne
fluctuantis animus tristitia obruatur, ami-
ci ejus & ego ad pedes tuos accidentes ob-
testamur te; e tantis periculis Episcopum
 T t 4 *libera,*

Sæculum XI.
 A.C. 1092.

ep. Urb.
Gall. Chron.
to. 2. p. 381.
II. ep. 34.

Sæculum XI. libera, in quibus sine utilitate versatur.
 A.C. 1092. Licentiam tribue discedendi, priusquam
 ab Adversariis prostratus fuisse videatur.
 Prævidi, quin prædixi etiam mala, quæ
 Fulconem manerent, cum ad Episcopatum
 vocaretur, sed submissi iudicium meum au-
 ditoritati illorum, qui tanto ardore eum
 expetebant.

§. VI.

Philippus Rex Bertradam ducit.

Orderic. lib. III. p. 999. At Ivo Carnotensis, vix Episcopatum
 auspicatus, gratia Regis excidit hac
 de causa, quam referam: Bertrada Fuc-
 ni Rechino, Comiti Andegavensi, tertius
 nuptiis juncta, metuens ne & ipsam tri-
 stis fors maneret, quæ priores ejus ux-
 ores (nam Comes eas eiecerat) & despe-
 cta vivere cogeretur, per clandestinos
 nuncios Philippo Regi Franciæ se se to-
 ri conjugalis consortem offerri iussit, exi-
 miæ suæ pulchritudinis & nobilissimi ge-
 neris conscia; quippe Simonis, Comitis
 Montfortii, & Agnetis Ebroicensis filia
 erat. Consensit Philippus, mollis animi
 Princeps, & perfidam lætissimus rece-
 pit. Rejectam igitur Reginam Bertam,
 Floris*, Ducis Frisiæ, filiam, quæ ei li-
 beros duos, Ludovicum, ipsius in Regno
 Franciæ Successorem, & Constantiam
 principem pepererat, in arcem Montro-
 lium in litore maris positam, cujus usum-
 fructum

* Florentii.

fructum viduæ destinaverat, relegavit, Bertradam ducturus, quamvis annis quatuor cum Comite Andegavensi marito superstitite fuisset. Tunc vero annus reparatæ Salutis millesimus nonagesimus secundusolvebatur.

Sæculum XI.

A. C. 1092.

Aimo. conti.

lib. V. c. 50.

Chr. S. P.

vivi.

Cum deinde Philippus Rex Ivonem Carnotensem tentasset, cupiens, ut novis nuptiis faveret, Præsul Archiepiscopo Remensi scripsit in hunc modum: *Pronuper ad colloquium invitatus, Regi vehementer roganti, ut nuptiis, quas cum Bertrada cogitat, assentiver, respondi; banc mentem abjiceret, quoniam inter ipsum & uxorem Bertam causa necdum esset decisa.* Nempe Rex matrimonium suum cum Berta nullum declarari exoptabat. Tum Ivo prosequitur: *Affirmabat Rex, causam istam Pontificis, tuæque auctoritate, & Fratrum tuorum approbatione absolute finitam esse. Reposui; vestrum consensum ad notitiam meam non pervenisse, & nolle me nuptiis adesse, nisi a te, Fratribus tuis consentientibus, celebrarentur; hoc enim Jus ex Papæ concessione & pro antiquo more Ecclesie tuæ esse. Igitur cum nullus dubitem, quin in causa tam periculosa & famæ tuæ, gloriæque Regni Francorum noxia, id solum facturus sis, quod vel auctoritate vel ratione nititur, obsecro! eorum, quæ de hac causa scis, certiozem me facias & consi-*

ep. 13.

T t 5

lium

Sæculum XI. *filium suggeras, quantumcunque difficile.*
 A.C. 1092. *Malo enim in omne tempus munere & ti-
 tulo Episcopi carere, quam gregi, a Do-
 mino mihi commisso, scandalum ponere.*

ep. 15.

Ivo ad Regem quoque literas dedit, in hunc sensum: *Scribo jam, quæ antea te præsentem dixi. Nolo nuptiis, quas meditaris, interesse, nisi sciam, divorcium tuum Concilio generali probari, teque cum muliere ista matrimonium, statutis Canonicis non adversum, posse contrahere. Si ad ineundum hujus causæ examen in locum tutum, ubi cum Fratribus meis sine insolentis multitudinis metu deliberare potuissem, vocatus fuisset, lubenti animo irem, & cum ceteris, quod Justitia postularet, facerem. Nunc vero, cum Parisios accersar, ut ibi adstem cum Conjugate tua, & nesciam, an hæc ipsa mulier Conjugate tua esse possit, id vetat conscientia mea, quam Deus puram custodire jubet, prohibet necessitas famæ meæ conservanda, quam integram foris habere Episcopum oportet. Denique alligata collo meo mola asinaria in profundum maris demergi, quam pusillius scandalo esse, malo. Et procul abest, Rex, ut credam, me, dum libere, quæ sentio, profero, fidem tibi debitam lædere; nam neminem me ipso tibi fideliorum existimo, cum candide tibi aperio, quod putem, te in hoc molimine animam tuam lethali vulnere afficere, & Regnum tuum*
 magno

magno periculo exponere. Ivo missis ad Sæculum XI.
 Archiepiscopos, Episcoposque, ad Regias A C. 1092.
 nuptias invitatos, hujus epistolæ exem-
 plis, eos hortatus est, ut constantia Sa-
 cerdotali Regi loquerentur & discede-
 rent, ne ignavo silentio tanti criminis
 conscii fierent. ep. 14.

His non obstantibus Rex temerarius
 solemni ritu Bertradam sibi junxit, Epi-
 scopo Silvanectensi Benedictionem nu-
 ptialem recitante. Tum ut Episcopus
 Carnotensis ipsum offensum esse senti- Ivo. ep. 19.
 ret, ei Fecialem misit, videlicet, pro mo- 21. 22.
 re illius ætatis bellum denunciari jussit.
 Tunc vero Ecclesiæ Carnotensis prædia
 direpta, & ipse Episcopus ab Hugone
 Dynasta*, Vicecomite Carnotensi in car- * du Puifer.
 cerem detrusus. Qua re comperta Ur-
 banus Papa, datis ad Archiepiscopum Re- ep. 35. to. 10.
 mensem & ipsius Suffraganeos literis, ex- Conc. p. 463.
 probavit, quod tantum crimen, multo-
 rum populorum offendiculum, toleraf-
 sent. Et post pauca subjungit: *Quam-
 primum hæc epistola nostra ad vos perve-
 nerit, Regem adite, Dei nomine & nostro
 monete, atque ad ejurandum horrendam li-
 bidinem compellite. Si hortatum vestrum
 contempserit, nos vosque ad gladium Spi-
 ritualem contra ejus adulteria adbiben-
 dum coget. Ad liberandum quoque Epi-
 scopum Carnotensem, Fratrem nostrum,
 nullam viam intentatam relinquit. Si
 vero*

Sæculum XI. *vero ille, qui Episcopum cepit, vobis ob-*
 A.C. 1092. *dire detrectaverit, excommunicate contu-*
macem, arcemque, & prædium, in quo cap-
ptivum tenet, Sacris interdicit, ut me-
tum illis incutiamus, ne similia deinceps
in viris ordinis Episcopalis præsumant.
 Hæc Epistola vigesima septima Octobris
 anno millesimo nonagesimo secundo
 data.

ep. 23.

Ivonis Car-
 notensis Epi-
 stolæ.

Similes epistolas Papa ad omnes Epi-
 scopos Franciæ misit; id enim ex Ivonis
 Carnotensis Epistola data ad Guidonem
 Regis Prætorem, qui Episcopum Regi
 reconciliare studebat, cognoscimus. *Vi-*
di epistolas, inquit Ivo, Urbani Papæ ad
omnes Archiepiscopos & Episcopos Regni
ipsius datas, quibus hortatur, ut Regi me-
liorem mentem indant. Has ego dudum
promulgassem, sed amore Regis huc usque
eas pressi; semper enim, quantum opis in
me erit, periculum removebo, ne Franci
a Rege suo deficiant.

ep. 20.

Cum Primates urbis Carnotensis con-
 jurassent, arma Vicecomiti illaturi, ut
 Episcopum suum liberarent, Ivo datis ad
 eos literis serio vetuit, ne rem istam ag-
 grederentur. *Nunquam enim civium do-*
mos concremando, inquit, aut pauperum
tuguria diripiendo iratum Deum placabi-
tis, sed eo gravius offendetis. Nec vos
autem, nec quisquam hominum sine Supre-
mi Numinis voluntate me ex Adversario-

rum manibus eripiet. *Sinite ergo me so-* Sæculum XI.
A.C. 1092.
lum iram Dei portare, donec ipsi placue-
rit innocentiam meam mundo palam face-
re, & nolite dolorem meum aliorum cala-
mitate augere. Nam firmissime animo
constitui, non squalorem carceris modo
sustinere, sed etiam Dignitatem & vitam
potius perdere, quam pati, ut salutis meæ
causa quisquam mortalium pereat. Me-
mineritis, scriptum legi; cum Petrus ser- Act. 12. 5.
uaretur in carcere, orationem ab Ecclesia
sine intermissione pro eo factam esse.

§. VII.

Episcopatus Attrebatensis restituitur.

Gerardo juniore, Episcopo Camera-
 censi, undecima Augusti anno mil-
 lesimo nonagesimo secundo, fatis functo,
 Clerici populusque Attrebatensis ad re- Gesta V.
miscell. Bal-
luz. p. 237.
 stituendum in sua civitate Episcopum
 (nam priscis temporibus proprium ha-
 buerant) animum adjecerunt. Favebat
 occasio, sedente in Cathedra Petri Ur-
 bano Papa, Remis educato, & neutiquam
 ignaro, qualis olim in illis provinciis Ec-
 clesiarum divisio locum habuisset. Præ-
 terea cives Attrebatenses, qui Urbanum
 Papam agnoscebant, a Cameracensibus
 Henrici Imperatoris partes sequentibus
 lacebantur. Ceterum quingenti pro-
 pe anni effluxerant, ex quo duabus Ec-
 clesiis unus Episcopus præesse cœperat,
 nempe

Sæculum XI. nempe ab ætate S. Vedasti, qui aucto-
 A.C. 1092. ritate S. Remigii Episcopus Attrebaten-

Coint. an.
 510. n. 5.

sium constitutus, etiam Episcopus Cameracensium electus fuerat, postquam Clodoveus hanc urbem suæ potestati subjecit.

Urbanus Papa petitione Artesianorum benigne recepta, Renaldo Archiepiscopo Remensi rescripsit in hæc verba: (*)
Scias velim, Ecclesiam Attrebatensem, olim sub Metropoli Remensi insignem, ut ex Tabulis genuinis patet, Episcopos Religiosissimos ceteraque jura Pontificalia habuisse. Itaque, accepto hoc nostro mandato, eum, qui a Clericis populoque hujus Ecclesiæ Episcopus canonice electus fuerit, consecra & in possessionem Ecclesiæ immitte. Solet sæpe fieri, ut Ecclesiæ persecutionis tempore Clericis, populis & subsidiis Bonorum temporalium destituta aliis Ecclesiis ad tempus committantur, postquam vero his, quibus cavebant, iterum abundare ceperint, pristinam Dignitatem recipiant. Solius enim Apostolicæ potestatis est Episcopatus conjungere, conjunctos separare, aut novos erigere. Fretus itaque nostra auctoritate id adimplere ne timeas; quippe Ecclesiæ Remensi duodecim Episcopatus Suffraganeos tribuere

(*) Nempe Attrebatum Artesiæ Comitatus (Artois) Caput est ad Scarpan amnem.

Et antiquum splendorem reddere volumus. Sæculum XI.
A.C. 1092.

Simul Papa datis ad Clericos populum, que Attrebatensem literis præcepit, ut Episcopum Cardinalem, id est, Titularem eligerent, eumque consecrari & a Metropolita suo introduci curarent. (*) Neo eligendo prohibebatur, ne novæ institutionis prætextu dignitatem recusaret. Hæc epistola, secunda die Decembris, data est, & Papa quidem, quod intendit, effecit, sed non nisi superatis obstaculis; quod in sequentibus perspiciemus.

§. VIII.

Pisæ, Archiepiscopatus.

Eodem anno Urbanus Papa ad Archiepiscopalis Dignitatis apicem evexit Pisas, urbem Tusciæ celebrem & antiquam, cujus Episcopus Daibertus seu Dagobertus ab anno millesimo octogesimo octavo erat. Scilicet Pisana civitas in illo Schismate, cum Mathilde Comitissa, Domina sua, Legitimis Pontificibus Romanis semper fidem servaverat, quare Papa, ut gratum animum ostenderet, primum Episcopo Pisano Corsicam Insulam dono dedit, promulgata Bulla, in qua dicit: *Cum omnes Insula communi* ap. Ughell. to. 3. p. 413.
jure

(*) Intellige Beneficium curatum in Ecclesia Attrebatensi possidentem.

Sæculum XI. *jure primo occupantium sint, pro comper-*
A.C. 1092. to habemus, Imperatorem Constantinum
earum proprietatem S. Petro ejusque Vi-
cariis dedisse. Sed sequentium temporum
calamitatibus Ecclesia Romana non nulla-
rum dominium amisit. Verumtamen jux-
ta Statuta Legum & Canonum nec Divi-
sio Regnorum nec longa Possessio banc ju-
ribus suis privare valent. Quare licet
Ecclesia Romana possessione Insulae Corsicae
diu dejecta fuerit, omnes tamen noverunt,
eam Gregorium VII. Antecessorem no-
strum postliminio recepisse. Itaque moti
precibus dilecti Fratris nostri Dainberti,
Episcopi Pisani, nobilissimorum civium,
& carissimæ S. Petri filia, Matbildis Co-
mitissæ, banc Ecclesie Pisanae Insulam do-
namus, qua potiatur, quamdiu Episcopum
legitimum habuerit, & Ecclesie Romanæ
fidelis extiterit, eo onere ut in censum an-
nuum Palatio Lateranensi quinquaginta
libras æris Lucensis pendat. Hæc Bulla
Beneventi vigesima octava Junii anno
millesimo nonagesimo primo data.

Anno sequente millesimo nonagesi-
 mo secundo Papa Anagninae commorans
 aliam dedit, in qua obsequia a civibus Pi-
 sanis, & Episcopo, Ecclesie Romanæ lon-
 go schismatis tempore præstita, reporta-
 tas a Pisanis & Saracenis magnas victo-
 rias, opes Reipublicæ immensum auctas
 memorat. Tum Episcopo Daiberto Ju-
 risdi-

risdictionem in Episcopos Insulae Corsicae ^{Saeculum XI.}
tribuit, atque ad Archiepiscoporum ordi- A.C. 1093.
nem evehit, ut in eam bonos mores &
Disciplinam Ecclesiasticam revehat. De-
nique ei Pallium concedit.

§. IX.

Concilium Trojanum.

Urbanus Papa Festum Natalis Domini ^{Bertold. an.}
anno millesimo nonagesimo secundo ^{1093.}
extra urbem, in Territorio tamen Eccle-
siae Romanae celebravit; non enim alia
Romam intrandi supererat via, quam ar-
morum, quoniam Schismatici viribus
erant superiores; quamvis tunc Guiber-
tus Antipapa cum Imperatore Henrico
non Romae, sed in Longobardia versare-
tur. In Quadragesima anni sequentis
millesimi nonagesimi tertii Urbanus Pa-
pa Concilium Trojae in Apulia, undeci- ^{to. 10. p. 493.}
ma die Martii, celebravit, cui Episcopi
ferme septuaginta quinque & Abbates
duodecim interfuerunt. Actum est de
iis, qui intra consanguinitatis lineam ma-
trimonio jungentur, & sequentia capi-
tula promulgata. Episcopi Partes intra
gradus prohibitos contrahentes ter ci-
tent. Tunc si duo viri, vel tres, consan- ^{35. q. 5. c. 4.}
guinitatem jurejurando affirmaverint,
vel ipsi contrahentes id confessi fuerint,
conjugium dissolvatur. Si plene nihil
fuerit probatum, Episcopi sponso per fi-
Hist. Eccles. Tom. XV. U u dem

Sæculum XI. dem Christi obtestentur, ut palam faci-
A.C.1093. ciant, an se, ut fama esset, consanguineos
 cognoscant. Si negaverint, sibi ipsis re-
 linquendi sunt, moniti, ipsos, si recla-
 mante conscientia loquantur, a Commu-
 nione Corporis & Sanguinis Christi, us-
 que dum ab incestis nuptiis abstineant,
 separatos esse. Si se ex Judicio Episco-
 porum separaverint, & juvenes sint, ab
 aliis nuptiis non arceantur. Aliud etiam
 Decretum in hoc Concilio editum, quod
 ad Inducias Sacras pertinebat.

§. X.

*S. Anselmus Archiepiscopus Cantua-
 riensis.*

Eadm. No- Lanfranco quatuor abhinc annis fati-
vor. l. i. p. 34. functo, Sedes Cantuariensis vacabat;
 Guilielmus enim Rufus Rex Angliæ no-
 lebat alium mortuo sufficere, quo ipse
 diutius amplissimis Ecclesiæ redditibus
 potiretur. Is commentarium prædio-
 rum omnium ad hanc Metropolim per-
 tinentium conscribi jussit; tum singulis
 monachis, ei servientibus, sua portione
 assignata, reliqua ad suum traxit ararium,
 eaque singulis annis plus lucri offerenti
 administranda concessit. Quotidie ho-
 minum insolentium incursum monasterium
 divexabatur. Aderant feroces, & do-
 mum exactionibus exhauriebant, atro-
 cibus minis monachos terrebant, quo-
 rum

rum aliqui fugati, & in alia monasteria **Sæculum XI.**
 sparsi. Qui superfuere, pessime habiti. **A.C. 1093.**
 Ecclesiæ Servi & Vasalli expilati, & ad
 incitas redacti; ita ut miseris jam nihil
 amplius præter vitam eripi potuisset.
 Omnes Angliæ Ecclesiæ eadem calami-
 tate premebantur; Episcopo vel Abbate
 defuncto, Sede vacante Bona omnia Rex
 invadebat, nec Successorem eligi per-
 mittebat, quamdiu aliquid restaret, quo
 Præfectorum ipsius avaritia expleri pos-
 set. Tam noxii abusus, regnante ejus
 Parente ignoti, Guilielmus Rufus au-
 ctor fuit.

Anno millesimo nonagesimo secun-
 do Hugo Comes Cestriæ, novum mo-
 nasterium fundare cupiens, in Norman-
 niam nuncios misit, qui Anselmum Ab-
 batem Beccensem rogarent, ut in An-
 gliam navigaret, & se in hoc molimine
 adjuvaret. Recusavit profectionem An-
 selmus, quoniam rumor incerto auctore
 erat, ipsum si mare trajiceret, Archiepi-
 scopum Cantuariensem futurum esse.
 Quamvis enim ab hac cupiditate esset
 alienissimus, nolebat tamen adversariis
 vel umbram suspicionis præbere. Inter
 hæc Comes in gravem morbum incidit,
 missisque iterum ad Abbatem nunciis
 per veterem ipsorum amicitiam obtesta-
 tus est, ut abjecta omni mora veniret, &
 salutis animæ suæ curam in se susciperet.

Uu 2

Renuis

Sæculum XI. Renuit secundo Anselmus, Comesque
A.C. 1093. tertio misit, qui vehementissime instarent. Tandem Anselmus secum ipso disputare in hunc modum: *Si amico meo in extrema necessitate defuero, ut sinistrum aliorum de me iudicium & suspicionem effugiam, peccatum certum committo, cum peccatum aliorum incertum sit. Ibo igitur, & pro amico faciam, quod Charitas jubet, de ceteris Deus, qui conscientiam & cor meum perspicit, discernat.* Præterea eum non nulla negotia monasterii sui ad hanc navigationem suscipiendam impellebant. Ubi Anselmus in conspectum Comitis Cestriæ pervenit, sanitati restitutum habuit; nihilominus menses quinque in Anglia morari coactus est, tum ut institutum novi monasterii stabiliret, tum ut ea perfecteretur, quæ ad Beccensis monasterii emolumentum spectabant. Toto illo tempore nemo de Anselmo ad Archiepiscopatum Cantuariensem evehendum mentionem fecit; jamque ipse securum se existimans in Normanniam redire parabat. Sed Rex Abbatem ex Anglia solvere vetuit.

Cum deinde, Rege Natalem Domini celebrante, Proceres pro more frequentissimi adessent, non nulli, quibus virtus præ ceteris cordi erat, dolentes, quod prima in Anglia Sedes tot annis vacaret,
 eum

cum vehementer rogare cœperunt, ut, ipso jubente, in toto Regno publice preces denunciarentur, quibus ab optimo Deo dignus hoc fastigio Archiepiscopus impetraretur. Id Guilielmus denegare non potuit, statimque Episcopi Anselmum ad concinnandam illarum precum formulam compulerunt. Quadam die Procerum aliquis familiarem cum Rege sermonem conferens, ait: *Non novimus virum, quem major vite Sanctitas commendet, ac Abbatem Beccensem. Solum Deum amat, & nullam de hoc mundo rem cupit. Cui Rex illudens, est ut dicis, inquit, nihil vir bonus cupit, & omnium minime Ecclesiam Cantuariensem. Reposuit Purpuratus, persuasum mihi ego multique alii habent, Anselmum Archiepiscopatus honorem nullatenus appetere. Ego vero, adjecit Rex serio, nullus dubito, Abbatem istum hanc Dignitatem ambabus ulnis amplexurum esse, si se ad eam pervenire posse crederet. Sed, ita me S. Vultus de Luca adjuvet, nec ipse, nec alius quisquam præter me, me superstite, Archiepiscopatu Cantuariensi potietur.*

Sæculum XI.
 A. C. 1093.

Sedes Vacat.

Cang. Gloss.
 Vultus Chastelain
 Martyr. 13. Jan.
 p. 204.

Sæculum XI. nem vulgari vocabulo *Saint Vaudelu* ap-
A. C. 1093. pellare solet.

Hæc loquentem vero Regem Angliæ
 gravis morbus corripuit, qui in dies in-
 valescens eum ad extrema deduxit.
 Omnes Episcopi Purpuratique Angliæ
 conveniunt, ægrotanti suadent, ut salu-
 ti suæ consuleret, captivos e carceribus
 liberaret, debita, solvere non valentibus,
 condonaret, libertatem Ecclesiis redde-
 ret, iisdemque, præprimis Cantuariensi
 Pastores daret. Rex æger Glocestria
 decumbebat, & Anselmus hujus rei igna-
 rus in vicino prædio degebat. Vocatur
 ad Regem, ut in mortis periculo versan-
 ti succurreret. Ille celeriter venit, ro-
 gatur edicere, quid sentiret: & ipse, ni-
 hil magis necessarium esse, respondet,
 quam ut Rex sinceram omnium pecca-
 torum suorum confessionem ederet, &
 promitteret, se, si sanitati restitueretur,
 omnibus quibuscunque damni causa fu-
 isset, satisfacturum esse. Tum, addidit
 Anselmus, conversus ad Proceres, *faciet
 Rex & alia quæ suafistis.* Rex consen-
 tiens, rogavit Episcopos, ut vades se Deo
 pro ipso darent, misitque, qui suo no-
 mine omnia, quæ monebatur, super al-
 tare promitterent. Conscriptum & Si-
 gillo Regio munitum Decretum, quo
 omnes in carceribus detenti solvi jube-
 bantur, debita relaxabantur, remitteban-
 tur

* Claudia ca-
 fra.

tur injuriæ, spondebatque Rex imposte-
rum se populo optimas leges daturum, & Justitiam sancte administraturum esse. Sæculum XI.
Itaque Deum omnes laudabant, Regis-
que incolumitatem flagitabant. A.C. 1093.

Inter hæc non nemo suggerit Rege,
Ecclesiæ Cantuariensi vacanti Præsulem
præficiendum esse. Cui Rex: *Id ipsum*
extemplo facturum eram, cumque de viro
digno deliberare cœpissent, Rex omnium
primus Anselmum nominat. Applau-
dentibus cunctis, subito terrore expal-
luit Anselmus, & ipsum Regi admove-
re conantibus ad accipiendam Investitu-
ram, omnibus viribus reluctatus est.
Tum Episcopi ad aliud conclave evoca-
to, *per Salutem tuam*, dicebant, *perpende*,
quid agas. Cur Deo vocanti resistis?
Religionem in Anglia, hujus viri tyran-
nide, pæne prostratam cernis, & opem
ferre cum possis, denegas. Quis tibi ad
hæc sensus? Ecclesia Cantuariensis, cujus
calamitate omnes involvimur, postulat a te
auxilium; tu vero, ejus nostraque salute
neglecta, quietem tuam præfers. Respon-
dit Anselmus: *Parcius ista Patres! sed*
aves mibi præbete. Maxima sunt, fa-
teor, mala, quæ memoratis, & remedio
indigent. Verum ego senex sum, & la-
bori externo ferendo impar (annum æta-
tis numerabat sexagesimum) si autem pro
me ipso laborare nequeo, quo pacto totius

S. Anselmus
reluctans.

Sæculum XI. *Ecclesiæ Anglicanæ curam in me suscipiam? ceterum, propria mihi conscientia testis est, quod, ex quo monachum indui, negotia temporalia utpote ingenio meo aduersantia semper refugerim. Reponebant Episcopi: Tantum nos in viam Salutis deducas, & negotia tua temporalia nos curabimus. Quibus iterum Anselmus: Impossibile est, quod petitis. Abbas sum in alio Regno, Archiepiscopo meo obedientiam, Principi obsequium, monachis meis auxilium præstare & consilium suggerere teneor. Non possum hæc vincula abrumpere. Nihil agis, dicebant Episcopi, omnes illi, si tu volueris, facile consentient. Et ipse: Nihil plane, nihil fiet.*

Ergo ad Regem deducunt querentes, quod in obfirmatum nihil possent. Rex afflictus, ait, *quid agis Anselme? cur miserum me peccatorem ad Infernum ablegas? an memoria excidit, quantum Pater meus & Mater mea te amaverint, & quum arcto amicitiaæ fœdere tu eis junctus fueris? an sic perire me fines? nam nihil certius, quam me ad æternas pœnas abiturum, si prius, quam hunc Archiepiscopatum dimisero, moriar. Tunc vero præsentibus omnes in Abbatem invehuntur, & indignantes increpant, in hunc ferme modum: *Qua te dementia cepit? tu precibus istis molliri non queas? Regem occidis,**

occidis, dum animam pæne agentem affligis. Ex hoc momento, omnes tumultus, qui Angliam turbabunt, & omnia crimina, quæ impii admissuri sunt, tua culpa accident. Anselmus his dictis fatigatus ad duos monachos, qui ipsum comitabantur, conversus, *ab! me miserum!* ait, *fratres, cur non iuvatis?* tumque eorum alter, Balduinus nomine, *si Dei voluntas est, an nostrum est resistere?* Quibus Anselmus: *heu! quam molliter ceditis!* Rex videns, quod frustra essent, adstantibus præcipit, ut se recusantis pedibus advolverent; sed & ille in terram se demisit, orans, ne se ad impossibile compellerent. Tunc subito, quasi ipsorum vecordia Abbas vinceret, exclamant: *Date baculum Pastoralem, Pedum date,* & correpto ejus brachio repugnantem Regis lectulo admovent. Offertque Rex Pedum, sed Anselmus manum contrahit; Episcopi pertinacis dextram aperire adlaborant, tanto conatu, ut præ dolore ingemiscere cogeretur, tandemque manum baculo junctam tenent. Exclamatur: *Vivat Episcopus!* cantatur. *Te Deum laudamus!* Anselmus, invitus & sæpissime repetens: *nihil agitis, o Boni! nihil agitis,* ad proximam Ecclesiam portatur. Tandem Cæremoniis, quæ observari solebant, completis, Anselmus ad Regem reversus, *denuncio tibi, o Rex!* ait,

U u 5

ait,

Sæculum XI.

A.C. 1093.

Sæculum XI. ait, *te ex hoc morbo non moriturum.*
A.C. 1093 *Quare, si quid apud te possum, fac, ut quæ
 circa me facta sunt retractentur. Ete-
 nim non consensi, neque consentio. Qui-
 bus dictis discessit.*

Episcopus & omnibus Proceribus, An-
 selmum a cubiculo Regis redeuntem com-
 mitantibus, ipse ad sequentes se conver-
 sus, *an scitis, inquit, quid agatis? Ad
 unum jugum alligare vultis taurum indom-
 itum, & ovem vetulam ac debilem. Quid
 eveniet? taurus ovem Ecclesiæ inutilem
 per spinas & sentes raptabit, membra a
 membris avellet. Rex simul & Archiepi-
 scopus Cantuariæ Ecclesiam Anglicanam
 regunt, ille potestate sæculari, hic docen-
 do & Disciplinam conservando. Intelli-
 gitis, ut opinor, quæ dico. Attendite,
 quem mihi Regiminis socium detis, & fa-
 cile a proposito vestro abibitis. Si vero
 nolentem compellitis, audite quæ futura
 sunt: Rex me variis modis vexabit, & vi-
 obruet. Gaudium, quod modo de me ca-
 pitis, quia auxilium speratis, luctus occu-
 pabit, cum Ecclesiam Cantuariensem, me su-
 perstite, vacantem videritis. Me oppres-
 so, nemo erit, qui se Regi opponat, vos
 omnes pro sua libidine conteret. Hæc di-
 cens Anselmus & hospitium suum repe-
 tens lacrymas non tenebat.*

Electus est vero Archiepiscopus Can-
 tuariensis prima Dominica Quadragesi-
 mæ,

ma, die sexta Martii, anno millesimo nonagesimo tertio. Illico iussit Rex, ut in possessionem omnium Bonorum Ecclesie Archiepiscopalis admitteretur, atque civitas Cantuariensis & Abbatia S. Albani, quas Lanfrancus solum titulo Feudi habuerat, deinceps titulo proprietatis Ecclesie Cantuariensi addicerentur. Inter hæc Guilielmus Rex datis in Normanniam ad Robertum fratrem suum, ad Archiepiscopum Rotomagensem, monachosque Beccenses literis, eorum consensum petiit. Anselmus quoque scripsit, cernens, quod Divinae dispositioni resistere non valeret, & quod tam Ecclesie Cantuariensi quam Beccensi magnum detrimentum inferretur, si dilata sua consecratione moras traheret. Consensit Robertus Dux, & Archiepiscopus Rotomagensis etiam Dei nomine, Anselmum oblatum sibi munus recipere, iussit. Tandem & monachi, licet ægerime, acquieverunt. Rex, ut Anselmus prædixerat, convaluit, moxque omnia, quæ promiserat, retractavit. Hinc Anselmus quadam die soli colloquens, *etiamnum anceps hæreo*, ait, *o Rex, an Archiepiscopatus onus mihi suscipiendum sit. Si vero illud suscepero, scire te volo, quæ a te expetam. Inprimis Ecclesie Cantuariensi omnes agros, quos sedente Lanfranco possidebat, restituas, mibique potestatem facias,*

Sæculum XI.
A. C. 1093.

III. ep. I.
4. 6.

S. Anselmus
consentit.

Sæculum XI. *eias, prædia illa, quibus ante Lanfranci*
A.C. 1093. *Pontificatum hæc Ecclesia privata fuit,*
vindicandi. Tum ut in iis, quæ ad Reli-
gionem spectant, meum præ ceteris sequa-
ris consilium, meque Patrem tuum Spiritu-
alem habeas, sicut ego te in Temporalibus
Dominum meum & Defensorem col-
lam. Illud præterea moneo, quod Urba-
num, Legitimum Papam, agnoscam, quem
bucusque necdum recepisti, eique obedi-
tiam, Ecclesiæ Pastori debitam, præstitu-
rus sim. De his rebus mentem tuam mi-
hi aperias, ut sciam, quid a me statuen-
dum sit.

Noluit Rex plura promittere, quam agros, quibus Lanfrancus potitus fuerat, & nec eos quidem omnes, nam postea Anselmum rogavit, ut illos fundos, quos, Archiepiscopo fati functo, Vasallis suis tradiderat, iisdem concederet; quod recusans Anselmus, aliquamdiu speravit, quod tam ab onere Abbatiali quam Archiepiscopali liber futurus esset, quippe Pedum Abbatiale ad monasterium Becense remiserat. Sed tandem Rex, omnium ordinum clamores non ferens, Anselmum Wintoniam, quo Proceres convocaverat, venire iussit, postquam plurima prolixè pollicitus fuisset, ad recipiendam Dignitatem permovit, qui pro more & exemplo Antecessoris sui Regi homagium præstitit. Cantuariam deinde

de venientem, ut Ecclesiæ suæ possessio-
nem adiret, vigesima quinta Septembris,
Monachi, Clerici, populique ingenti læ-
titia amplexi sunt. At eadem die ad-
sunt a Rege missi, qui rem postularunt
æquitati omnino repugnantem; unde de
Pontificatu suo male ominari cœpit.

§. XI.

In S. Anselmum calumnia.

Quantumvis vero Anselmus animum
ab ambitione alienissimum semper
ostendisset, non defuerunt tamen, qui
vel errore, vel nequitia ducti dicerent,
eum unice Archiepiscopatum optasse, &
tamdiu recusando solertissime vota sua
dissimulasse. Quare necessarium esse
ratus, hanc suspensionem a se amoliri, in
epistola ad monachos Beccenses data lo-
quebatur in hunc modum: *Nescio, quo-*
modo malevolis possim persuadere, quæ sit
in hac re conscientia mea, si eis vitæ meæ
ratio non satisfaciat. Sic enim vixi jam
per triginta tres annos in Habitu Mona-
stico, tribus scilicet sine Prælatione, quin-
decim in Prioratu, totidem in Abbatia an-
nis, ut omnes Boni me diligere, & ma-
gis illi, qui me interius & familiarius no-
verunt. Nec quisquam in me depreben-
dit, unde me Prælatione delectari cogno-
sceret. Quid ergo mihi faciendum? quo-
modo removebo noxiam suspensionem? ne
illis

III. ep. 7.

Sæculum XI.
A.C. 1093.

illis animabus, quæ me propter Deum amabant, offendiculo sit, eorumque cbaritatem minuatur, aut illorum, quos consilio adjuvare teneor, cum me pejorem, quam re ipsa sum, crediderint, aut denique illorum, qui me non noverunt, quibusque saltem bonum exemplum debeo.

Domine, tu vides conscientiam meam, tu mihi testis esto! nulla re, quam Servos tuos contemnere oportet, illectus Episcopatum optavi. Quin, si salva obedientia & cbaritate possem, mallet monachus esse sub Præpositi imperio, quam aliis præcipere & divitias temporales possidere. Domine! si fallit me conscientia mea, ostende mihi me ipsum & corrige me. Tum si quis me calumniari ausus fuerit, spero Deum ipsum causæ meæ defensionem contra talem suscepturum, & certus sum, si mala suspicio cujusquam animæ nocuerit, solos Detractionis auctores bujus peccati reos futuros. In fine monachis Beccensibus præcipit, ut hanc epistolam omaibus, præprimis Episcopis & Abbatibus, amicis suis, exhiberent.

ep. 10. 14. Nihilominus ad quosdam præterea privatim de hac re literas dedit, scilicet ad Gisbertum Episcopum Ebroicensem, a quo Benedictionem Abbatialem acceperat, & ad Fulconem Episcopum Belvacensem, qui sub ipsius disciplina mona-

monachus fuerat. Epistolæ istæ, quas **Sæculum XI.**
 Anselmus dimissa jam Abbacia & ante **A.C. 1093.**
 quam Episcopus consecraretur, scripsit,
 nullo sigillo munitæ erant, cum nec Ab-
 bas esset nec Episcopus. At Monachis
 Beccensibus instabat, ut Abbatem elige-
 rent, suadebatque; Guilielmum mo-
 nachum, antea Priorem Pexei, quem eo
 munere dignissimum existimabat, sibi
 deposcerent. Guilielmo autem præce-
 pit, ut onus subiret. Guilielmus filius
 erat Turstini, Dynastæ Montfortii ad Ril-
 lam, cum potentissimis Principibus illius
 Regionis affinitate juncti. Annos natus
 viginti quinque, Becci, monachum indu-
 tus, Anselmi disciplinæ se tradidit, exin-
 de annis triginta ejusdem Monasterii Ab-
 bas.

ep. 8.

Chron. Becc.
post. Lanfr.
pag. 6. vit.
Guil. ibid.
p. 41.

Ubi præstituta dies, qua Anselmus
 consecrandus erat, advenit, Thomas Ar-
 chiepiscopus Eboracensis cunctique An-
 glia Episcopi Cantuariam se contule-
 runt, duobus exceptis, quos morbus iter
 facere prohibebat. Hi per suos Legatos
 consenserunt, videlicet Sanctus Wul-
 stanus Episcopus Vigorniensis & Osber-
 nus Exoniensis. Cum Decretum Ele-
 ctionis pro more legeretur, reclamavit
 Archiepiscopus Eboracensis, quod in eo
 Ecclesia Cantuariensis totius Magnæ Bri-
 tannia Metropolis diceretur. *Quod si*
*ita se habet, agebat, jam Ecclesia Ebo-
 racensis*

Sæculum XI. census Metropolitana non est. Istud ergo in
 A.C. 1093. Decreto deletum; sed appositum, quod
 Ecclesia Cantuariensis totius Magnæ Bri-
 tanniæ Primatum teneat. Ita demum
 Anselmus, secunda Dominica Adventus,
 die quarta Decembris, anno millesimo
 nonagesimo tertio, Archiepiscopus con-
 secratus est. Postquam Cantuariæ suæ
 Ordinationis octavam transegisset, ad
 Regiam ivit, Natalem Domini ibi cele-
 braturus; eumque Rex omnesque Pro-
 cæres humanissime exceperunt.

§. XII.

S. Margarita, Regina Scotia.

Boll. 10. Jun. 10. 20. p. 320. Eodem anno obiit S. Margarita, Scotia
 Regina ex ultimorum Regum Angliæ
 familia ortum ducens. Hæc Eduardi,
 ex Edmundo, a lorica ferrea dicto, geni-
 ti, filia, & Malcolmo Regi Scotia circa
 annum millesimum septuagesimum in
 matrimonium data, decorem Ecclesia-
 rum, filiorum suorum educationem, &
 Regiæ Domus splendorem maximopere
 curavit. Rex piæ uxoris consilio impul-
 sus complura jussit celebrari Concilia,
 in quibus inoliti abusus sublatis, & Eccle-
 siæ Disciplina restituta. Ipsa Regina in-
 tererat, disputabatque; eaque urgente,
 inter plura alia, etiam sequentia fuere
 statuta: Jejunium Quadragesimale Fe-
 ria IV. cinerum, non vero die Lunæ se-
 quente,

Sæculum XI.
A C. 1093.

quente, inchoetur. Illi quoque, qui se peccatores noverunt, in Paschate communicent, postquam confessione peccatorum, & aliquot dierum pœnitentia, se præparaverint. Dominicam diem omnes sanctificent & a labore abstineant. Nemo Patris sui aut Fratris viduam ducat. Credere æquum est, Divinum Numen hanc Sanctam Reginam in Scotiam misisse, ut reliqua barbaries penitus proscriberetur.

Bis singulis annis quadraginta dies jejunabat, primo ante Natalem Domini, secundo ante Pascha. Quotidie complura Officia, & totum Psalterium recitabat. Quotidie cum Rege Coniuge plus quam trecentis pauperibus ministrabat, & largissime erogabat eleemosynas. Morbo correpta, & advertens mortis periculum Confessionem generalem omnium peccatorum suorum edidit. Tum ultima vitæ suæ die Sacellum suum ingressa, Missæ Sacrificio interfuit, & Viaticum accepit, quibus peractis, ancillarum manibus ad lectulum suum defertur. Cum de salute Regis, cum duobus filiis in regione remota bellum gerentis angeretur, intrat cubiculum matris natu minor, atque interroganti, ut Rex parens, fraterque valerent, respondet, ambos esse incolumes. Sed ipsa deteriora suspicans, urgere juvenem non destitit, donec

Hist. Eccles. Tom. XV. X x nec

Sæculum XI.
A.C. 1093.
nec verum expressit; nempe & patrem & filium majorem ante triduum in proelio cecidisse. Egit Deo gratias Regina, quod morti proxima acerbissimo dolore, quo pro peccatis suis posset satisfacere, affligeretur, moxque animam reddidit, decima sexta Novembris anno millesimo nonagesimo tertio. At Ecclesia ejus memoriam decima Junii colit. Vitam S. Margaritæ annis ferme post ejus obitum decem Theodoricus Dunelmensis, qui Reginæ a Confessionibus fuerat, jubente Regina Mathilde, defunctæ filia, Henrici I. Regis Angliæ uxore, scripsit.

§. XIII.

Conradus in Parentem Imperatorem rebellis.

Papebr. Catal. to. 18. Bertold.

In Italia rebus humanis ereptus est Anselmus Archiepiscopus Mediolanensis, quarta Decembris anno millesimo nonagesimo tertio, postquam hanc Sedem annis septem & mensibus quinque tenuisset, & partibus Catholicorum addictissimus haud diu ante Regi juveni, Conrado, in Patrem rebeli, coronam imposuisset. Anselmo successit Arnulphus III. qui Ecclesiæ Mediolanensi annos prope quatuor præfuit.

Causa vero, cur Conradus a parente defecerit, hæc fuisse perhibetur. Cum Impe-

Imperator in Adelhaidem, conjugem suam, immane odium concepisset, eam

Sæculum X.
A.C. 1093.

custodiæ tradidit, pluribusque viris potestatem fecit, matronæ pudorem violan-

Dodech.
1093.

di, etiam filium, nefas! hortatus, ut Regina, vi adhibita, si opus esset, illuderet; quo incestam cum noverca libidinem abominante, concitatus Henricus, non

es, ut imprudens putas, ait, filius meus, sed fædo adulterio mater tua nobili ex Sue-

Bertold.

via Principi te peperit. (ceterum Conradus species ab illius Principis Suevi facie vix diversa erat) Conradus offensus, relicta patris aula, Welphonis Ducis Tuscicæ ceterorumque Catholicorum factioni se junxit. (*) Aliquot Civitates, Mediolanum, Cremona, Laus Pompeja*, Placentia

* Lodi.

X x 2

centia

(*) Ad hunc locum Eminentissimus Baronius ex Dodechino refert: *Regina autem post plurima & inaudita malorum genera sibi innocenter illata, de custodia, qua tenebatur, quoquomodo Dei miseratione liberata ad potentissimam tunc temporis fæminam Mathildam nomine fugiendo pervenit. Quæ susceptam Reginam ad Venerabilem virum perduxit Urbanum, Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus provoluta pedibus profusis lacrymis ac intimis singultibus omnem suæ, quam pertulerat, calamitatis intimavit miseriam Regina autem reversa est in Regionem suam, & ingressa Monasterium facta est Abbatisa, ut quidam dicunt.*

Sæculum XI. centia, inito foedere, quod annis vigin-
A.C. 1093. ti valeret, contra Henricum conjurarunt;
 is filium per insidias ceperat, qui autem
 denuo evadens, Welfone Duce & Ma-
 thilde ejus uxore ipsum tuentibus, ab
 Archiepiscopo Mediolanensi Rex coro-
 natur. Tunc vero Imperator parens in
 cujusdam arcis munimenta se recipere
 coactus est, ubi diu sine Cæsareæ Maje-
 statis insignibus commorans, tanto despe-
 rationis impetu actus fuisse dicitur, ut
 sibi ipsi mortem intulisset, nisi amicorum
 pietas furentis dextram cohibuisset. An-
 no autem millesimo nonagesimo tertio,
Bertold. Henricus Veronæ degebat cum Antipa-
1094. pa Guiberto, qui se se Pontificatu abdi-
 caturum simulabat, si alio pacto Eccle-
 siæ tranquillitas reduci non posset. Inter
 hæc Urbanus Papa Romæ erat, ubi Na-
 talem Domini solemnem Ritu celebravit.
 Nec ignorabat, complures adhuc quidem
 Guibertinos in Urbe latere, sed eos pel-
 lere volebat, quod istud servata Urbis
 quiete, & sine armatorum opera, effici
 non posset. (*)

§. XIV.

(*) A Guiberto Antipapa nomen illud, dicitur
 Gibelinum, quod Imperatorum partes contra
 Pontifices amplectentibus postmodum tribueba-
 tur, originem traxisse videtur.

§. XIV.

*Episcopatus Siciliae.*Sæculum XI.
A.C. 1093.

Rogerus Comes, tota pæne Sicilia armis subacta, gratum Deo animum pro tanto Beneficio exhibiturus, cœpit Justitiam administrare, viduas tueri & orphanos, Divinis Officiis frequenter interesse, Fideles ad solvendas decimas compellere, Ecclesias reparare, earum redditus sua munificentia augere, mala denique omnia tollere, quorum causa per annos plus quam ducentos Infidelium Dominatio extiterat. Nihil vero antiquius habuit, quam Episcopatus restituere. Supra meminimus, Panormi Episcopum Græcum fuisse illo tempore, quo Robertus Guiscardus illam civitatem anno millesimo septuagesimo primo cepit. Postea Ecclesiæ Panormitanæ præfuisse legitur Archiepiscopus Latinus, nomine Alcherius, cui ut faveret Gregorius VII. Papa, data Bulla decima sexta Aprilis anno millesimo octogesimo tertio, omnia ejus Jura confirmavit, & Pallium concessit. Alcherius usque ad annum millesimum centesimum nonum superstes fuit. Comes Rogerus, postquam Taurominium ad deditionem compulset, *Trainæ* seu *Traginæ*, urbe vicina, Ecclesiam in honorem Sanctæ Virginis fundavit, ornavit, & opibus auxit. Ad-

Gaufr. Malat. IV.

c. 7.

*Sup. lib.**LXI. §. 38.**Gaufr. II.**c. 45. Rocch.**Pirrus to. I.*

p. 100.

Gaufr. III.

c. 19.

Sæculum XI. junxit monasterium Ordinis S. Basilii, & A. C. 1093. tandem illam Ecclesiam ad Sedis Episcopalis Dignitatem evexit; quam deinde, suadente Summo Pontifice, Messanam, ubi olim, ex antiqua traditione, Episcopus federat, transtulit.

Dippl. ap. Pirrum to. I. p. 452. Primus Episcopus Traginensis & Messanensis fuit Robertus, Comitum Moritanæ filius, ex Ducum Normanniæ Familia, Deliciæ, quam primis nuptiis sibi Comes Rogerius junxerat, frater. Is prius Abbas S. Euphemie in Calabria,

Diplo. ap. Pirrum to. I. p. 298. deinde Domine * Nostræ Traginæ, postea eidem Ecclesiæ atque etiam Messanensi Episcopus præfectus est; nam Ecclesiæ Traginensis & Messanensis aliquamdiu conjunctæ manserunt.

** Virginis. Diplom. ap. Fa.* Roberto Guiscardo regnante, cum Robertus Abbas S. Ebrulsi in Normannia in Italiam cum undecim monachis profectus fuisset, de injuriis, a compluribus suæ provinciæ Optimatibus sibi illatis, apud Alexandrum II. Papam conquesturus; eum Guiscardus, natus hujus Abbatie Vasallus, in terras, quas armis sibi subjecerat, honorifice exceptum, Ecclesiæ S. Euphemie, in litore maris Adriatici, prope rudera cujusdam vetustissimæ urbis, positæ, præfecit. Ibidem Robertus Guiscardus Monasterium extruxit, in quo defuncta ejus mater condita, eademque Abbati Monasterium Trinitatis

Venu

Venusinum subiecit, ubi Berengarium, ^{Sæculum XI.}
 Monachum S. Ebrulfi, Abbatem esse jus- ^{A. C. 1093.}
 sit. Berengarius, cum ibi viginti non
 plus monachos, admodum tepidos, in-
 venisset, Regulam reduxit, Monachos-
 que ferme centum collegit; ex qua Con-
 gregatione postea complures Abbates &
 Episcopi sunt evocati. Ipse Berengarius
 Episcopus Venusinus, Urbano II. S. Pe-
 tri Cathedram tenente, electus est. Ce-
 terum Robertus Guiscardus tertium
 quoque Monasterium, videlicet Sancti
 Michaelis Meliti seu Mileti in Calabria
 S. Ebrulfi Abbati contulit. Porro in
 omnibus tribus monasteriis alumni ad
 easdem consuetudines & eundem can-
 tum servandum, ut ista in Monasterio
 S. Ebrulfi vigeant, instituti sunt.

Primus Episcopus Catanensium fuit
 Ansgerus, ex Gente Britonum, Prior ^{Gaufr. IV.}
 monasterii S. Euphemie, monachis suis ^{c. 7.}
 adeo charus, ut ipse Rogerius Princeps,
 ad eum obtinendum, Monasterium adire
 coactus fuerit, & vix efficere potuerit,
 ut eum Monachi dimitterent, & Ansg-
 rius onus Episcopale subire vellet. ^{Episcopatus}
 Ansg- ^{Catanensis.}
 gerius ipsius Papæ manibus ordinatus ^{ap. Rocc. to.}
 est, quod Comes Rogerius testatum fe- ^{7. 2. p. 10.}
 cit edito diplomate, in quo ita loquitur:
Urbanus II. Papa mihi, Filio suo Spiritu-
tuali, præcepit, ut Ecclesiam tuear, ejus-
que augmentum omnibus viribus curem.

Sæculum XI. A C. 1093. *Quare, postquam Siciliam a Saracenorum*
jugo liberavi, Ecclesias in diversis locis
construxi, Episcopos, jubente Papa, qui
eis manus imposuit, constitui, singulis
Diœcesim & census congruos dedi, ne alter
alteri gravis esse cogatur. Inter alios
Episcopos Anserium, Priorem Sanctæ
Euphemie, Abbatem & Episcopum Civi-
bis Catanensibus præfeci, atque licentiam
dante Urbano II. Papa, qui eum ordina-
vit, Urbem Catanam Abbatia & Episco-
patus Sedem designavi. Postea prædicia
enumerantur, quæ Rogerius Ecclesiæ
Catanensi in illa Diœcesi dono confert.
 Est autem hæc Charta vigesima sexta
 Aprilis anno millesimo nonagesimo pri-
 mo data. Eadem leguntur in Bulla Ur-
 bani II. data ad Anserium Episcopum
 eodem anno, die Martii nona, qua, ut
 conjicere licet, Ordinationem accepit.
 In ea statuit Pontifex, ut idem, qui Ab-
 bas Monasterii S. Agathæ, semper etiam
 Episcopus Catanensis esset.

Pleraque vero istarum Ecclesiarum
 in Sicilia anno millesimo nonagesimo ter-
 tio restitutæ fuere, quod exploratum fit
 ex Decreto Comitis Rogerii, pro Eccle-
 sia Agrigentiniensi dato, in quo hujus
 Diœcesis limites designat. Primus in
 Ecclesia Agrigentiniensi Episcopus sedit
 Gerlandus, Vesuntione natus, sanguine
 propinquus Comiti Rogerio, ejusque
 fratri

fratri Roberto Guiscardo, a quibus in Calabriam advocatus est; ubi primum electus Cantor Ecclesie Cathedralis Miletensis, sed pessimos civium mores abominans, Vefuntionem reversus est; unde eum Rogerius Comes revocavit, ipsum in Sede Agrigentina Episcopum collocaturus. Ordinatus est Gerlandus ab Urbano II. eamque Sedem annis duodecim tenuit. Ceterum vigesima quinta Februarii, nempe in die obitus sui, cultu Sanctis exhiberi solito honoratur.

Primus Episcopus Mazarenfis fuit Stephanus *ferreus*, patria Rotomagensis, & ipse Comiti Rogerio affinis, qui Diplomate mense Octobri anno millesimo nonagesimo tertio dato ejus Diocesis amplitudinem definivit. Ceterum Stephanus adhuc anno millesimo centesimo vigesimo quarto in vivis degebat. Primus Ecclesie Syracusanæ Episcopus præfuit Rogerius, Ecclesie Traginensis Decanus, vir scientia & virtutibus insignis. Quem sibi eripi urbs Traginensis amare luxit, quod ipse absente Episcopo Diocesim sapienter rexisset, & consilio acer cives in negotiis quoque secularibus adjuvisset. Igitur a Comite Rogerio Episcopus Syracusanus, id suadentibus illius provincie Episcopis, delectus, ordinatur ab Urbano II. Papa, qui Diocesis ejus fines, Bulla Anagninæ, prima die Decembris anno

Sæculum XI.
A.C. 1093.

p. 273.

ibid. p. 500.
Gaufr. IV.
c. 7. *Pirr. to.*
2. p. 152.

Sæculum XI. millesimo nonagesimo tertio, data, po-
A.C. 1093. fuit. Obiit vero Rogerius Episcopus
 anno millesimo centesimo quarto. Præ-
 ter Episcopatus, Comes Rogerius in Si-
 cilia complura monasteria reparavit, &
 non nulla a fundamentis erexit, Urbani
 Papæ consilia secutus. Hinc Urbanus
 Ecclesiæ Siculæ Restaurator habitus;
 cujus mandata illius Insulæ incolæ exin-
 de nunquam non venerati sunt.

§. XV.

Res Ecclesiæ Attrebatensis.

In Francia interea negotium, de separan-
 do Episcopatu Attrebatensi a Camera-
 censi, illi quorum intererat urgebant.

Sup. §. 6. Clerici populusque Attrebatensis, acce-
Baluz. 5. pta Bulla, secunda Decembris anno mil-
miscell. p. lesimo nonagesimo secundo data, a Rei-
 239. naldo Archiepiscopo Remensi petierunt,
 ut Legatum mitteret, qui Electioni novi
 Episcopi præesset. Rescripsit Archiepi-
 scopus, præcipiens; ad Concilium, quod
 Remis, Dominica tertia Quadragesimæ,
 vigesima Martii, anno millesimo nonage-
 simo tertio, celebraturus esset, venirent,
 illuc enim etiam Clericos Cameracenses
 a se vocatos esse, ut documenta exhibe-
 rent, quibus Ecclesiam Attrebatensem
 subjectam esse probarent. Huic Conci-
 lio interfuerunt illius Provinciæ Episcopi
 sex, Hugo Sueffionensis, Elinandus Lau-
 dunen-

Laudunensis, Ratbodus Noviomenſis, **Sæculum XI.**
 Fulco Belvacenſis, Gervinus Ambianen- **A. C. 1093.**
 ſis, & Gerardus Teruanenſis. Porro
 Legati Attrebatenſes, quorum Princeps
 erat Galbertus, illius Eccleſiæ Præpoſi-
 tus, quæcunque poterant, produxerunt,
 ut oſtenderent, in Civitate ſua nunquam
 non fuiſſe Sedem Episcopalem. Sed nul-
 la testimonia ſatis perſpicua temporibus
 S. Remigii & S. Vedasti antiquiora affe-
 rebant. Quæſtionem vero de Jure me-
 lius quam de facto demonſtrarunt; vi-
 delicet, Episcopos dandos eſſe Civitati-
 bus, quæ olim Paſtores proprios habuiſ-
 ſent, & ſplendorem priſtinum recepif-
 ſent, tum etiam, in illis civitatibus, qui-
 bus ſatis opum eſſet, novas Sedes eſſe
 erigendas.

Gaucerio Archidiacono Cameracen-
 ſi, ceteriſque illius Eccleſiæ Legatis nul-
 las chartas, quibus jus ſuum in Eccleſiam
 Attrebatenſem probarent, exhibentibus,
 Archiepiſcopus Remenſis Bullam Urbani
 Papæ recitari, tumque librum Canonum
 afferri juſſit, & Canonem Concilii Sardi-
 cenſis, numero ſextum, de institutione **Sup. l. XII.**
 Episcopalium Cathedrarum, prælegi. **ſ. 37.**
 Archiepiſcopum deinde ab Episcopis
 aliisque Clericis, aliqua Dignitate præ-
 ditis, conſilium & ſententiam exquiren-
 tem, illi rogarunt, ut Judicium decreto-
 rium in re tam gravis momenti differret,
 &

Sæculum XI. & Archiepiscopo recusante Archidiaconus

A.C. 1093.

Cambracensis in medium Conventus procedens, affirmavit, Ecclesiæ Attrebatensi Jus non esse sibi proprium eligendi Episcopum, atque Clericos Ecclesiæ Cambracensis id coram Judicio Summi Pontificis demonstraturos esse. Tunc vero Archiepiscopus Præposito ceterisque Ecclesiæ Attrebatensis Clericis suavit, ne gravarentur, coram Summo Pontifice causam suam defendere, quo ipsorum Jus multo magis firmaretur. Itaque omnibus in unam sententiam concedentibus, octo dies, videlicet a Dominica ante Ascensionem Domini usque ad Dominicam sequentem, præstituti fuerunt, intra quos ambæ Partes Papæ Judicium adirent. Addidit Archiepiscopus, si Attrebatenses Romam non irent, se ipsis aures non amplius præbiturum, & si Cambracenses in mora fuissent, se illico secundum Papæ mandata electo Episcopo Attrebatensi manus impositurum esse.

Duo Clerici, Joannes & Drogo, ab Ecclesia Attrebatensi Romam missi, novem diebus, nempe tempore in Concilio Remensi statuto, in Urbe expectarunt, nullis Nunciis nomine Ecclesiæ Cambracensis comparentibus.

Electio Episcopi Attrebatensis. Ergo Papa literas eis tradidit, Archiepiscopo Remensi reddendas, in quibus, repetito mandato Attrebatensibus Episcopum ordinandi,

nandi, aiebat: *Si jurgia & odium Came-* Sæculum XI.
racensium pertimescis, Electum ad nos A.C. 1093.
transmitte, quem, salvo Ecclesiæ tuæ ju-
re, consecrabitur. Legatis hanc Ponti-
 ficis epistolam Archiepiscopo tradenti-
 bus, quæsiuit ille secreto, quem Attreba-
 tentes electuri essent, & inter viros tres,
 quos ipsi nominarunt, Lambertum Gui-
 nensem maxime sibi probari dixit. In-
 stantibus etiam, ut datis literis electio-
 nem peragendam firmaret, respondit,
 Papæ literas sufficere, subjungens: *Ve-*
strum est Episcopum vobis eligere, meum
autem electum ordinare.

Legatis Attrebatum reversis, indici-
 tur jejunium triduanum, preces & Lita-
 niæ publicæ denunciatur, dies electio-
 nis decima Julii præstituitur. Invitan-
 tur complures Clerici ex vicinis Ecclesiis,
 atque etiam ex Canonicis Insulæ, inter
 quos & ille, quem electuri erant, adve-
 nerat. Namque præstituta die, Domi-
 nica, decima Julii anno reparatæ Salutis
 millesimo nonagesimo tertio, Lamber-
 tus Guinensis, Canonicus & Cantor In-
 sulanus, solemnî Ritu Episcopus Attreba-
 tentis electus, atque invitus in thronum
 Pontificalem euectus est. Ipso amaras
 lacrymas fundente, & Canonicis Insu-
 lanis conquerentibus, quod sibi vir ex-
 cellentissimus eriperetur, lecta est Bullæ
 clausula, in qua Pontifex prohibebat, ne
Electus

Sæculum XI. Electus voluntati eligentium repugna-
A.C. 1093. ret. Sine mora Ecclesiastici viri Attre-
 batenses, datis ad Archiepiscopum Re-
 mensem literis, petierunt, ut Electum
 consecraret. Ipse respondit, cum con-
 sensu Episcoporum illius Provinciæ re-
 quirendus esset, se illis inconsultis diem
 Consecrationi statuere non posse; quod
 demum in Conventu Remensi, ad Fe-
 stum Dominae Nostræ in medio mensis
 Augusti celebrando decerni posset. Cum
 vero illa dies advenisset, Archiepiscopus
 denuo petit, ut hæc ordinatio usque ad
 Festum Sanctorum omnium differretur.

Primus Epi-
 scopus Attre-
 batensis,

Clerici Attrebatensis Ecclesiæ, cum
 cernerent moras nasci ex moris, missis
 Romam nunciis, Epistolam a Papa ad
 Archiepiscopum Remensem datam im-
 petrarunt, in qua Lambertum intra unius
 mensis spatium, post acceptam hanc Epi-
 stolam, ordinare, vel eum Romam mit-
 tere jubebatur. Cui epistolæ consenta-
 neam alteram Papa scripsit Lamberto,
 undecima Octobris datam. Tum Ar-
 chiepiscopus Remensis Lamberto signifi-
 cari iussit, se epistolam Papæ Episcopo
 Suessionensi misisse cum mandato; ut
 eam ceteris Suffraganeis communicaret,
 eorumque consilium expeteret. Rem
 vero ipsam usque ad octavam S. Andreae
 distulit. Quare Lambertus se Remos
 contulit & Archiepiscopum die Domi-
 nica,

nica, decima octava Decembris, adiit; sed *Sæculum XI.*
 eum Archiepiscopus cum suis & Ecclesiæ *A. C. 1093.*
 Attrebatensis literis ad Papam remisit.
 In epistola sua ad Papam dicebat; Epi- *Baluz. p.*
 scopos & Clericos provinciæ suæ sibi sug- *259.*
 gessisse consilium, ne Lambertum conse-
 craret, sed remitteret Papæ, de eo, quod
 videretur, facturo: *Timent enim, sub-*
jungebat Renaldus Remensis, ne Came-
racenses arrepto hoc prætextu se se Eccle-
sia Remensis Jurisdictioni subtrahant, eo-
que facilius, quod Cameracum in alio Re-
gno positum sit, cujus Rex jam diu & no-
ster & Ecclesia Romanæ hostis existit.
Dicunt itaque, permutationem fore sum-
me noxiam, si ideo, ut Attrebatenses Epi-
scopum haberent, Ecclesia Remensis Civi-
tatem Cameracensem Attrebatensi sexies
ampliolem & opulentiolem amitteret.
 Deinde addit Archiepiscopus; postquam
 Lambertus a Papa consecratus fuerit, se
 eum recepturum, & tanquam Episco-
 pum, quem isto fastigio dignissimum cen-
 seret, veneraturum. Clerici vero At-
 trebatenses, in epistola ad Papam data,
 rogabant, ut Lambertum Episcopum con-
 secraret & præciperet, ut fines duorum
 Regnorum Franciæ & Germaniæ, sicut
 antiquis temporibus, ita etiam nunc dua-
 rum Ecclesiarum Cathedralium termini
 essent.

Lam-

Sæculum XI. Lambertus, has literas deferens, in
 A.C. 1094. Vigilia Nativitatis Domini Remis exce-
p. 255. to. 10. Conc. p. 464. lit Romam petiturus, quem viri tres, ex
 Clericis Attrebatensibus spectatissimi,
 comitati sunt. Cumque Hugo Archi-
 episcopus Lugdunensis Divione commo-
 rans eum obvium habuisset, & itineris
 suscepti causam cognovisset, Hugonem
 Abbatem Cluniacensem rogavit, ut ipsum
 Lugdunum deduceret, ubi Lambertum
 sex diebus commorari, quoniam erat
 tunc hyems summa & tempestas perfri-
 gida, amicissime compulit. Exinde post-
 quam die Veneris ante Dominicam Quin-
 quagesimæ, nempe decima septima Fe-
 bruarii anno millesimo nonagesimo quar-
 to cum Sociis Romam pervenisset, me-
 tuens violentiam Guibertinorum, in ali-
 qua Urbis Romanæ regione adhuc domi-
 nantium, in Basilica S. Petri mansit, &
 Sabbato, ubi vix illuxerat, ad Urbanum
 Papam in Basilica Mariæ Novæ habitan-
 tem processit. Cum in conspectu Pon-
 tificis fuit, ejus pedibus accidens inter
 copiosas lacrymas rogavit, ne se ad ejus
 Episcopatus onus recipiendum vellet
 compellere, quod sive ipse infirmitas,
 sive odium Henrici Regis, in cujus Di-
 ctione Cameracensis civitas posita esset,
 sive Clericorum Optimatumque illius
 Diocesis invidia, sive denique Ecclesiæ
 Attrebatensis paupertas spectaretur, un-
 dique

pa, dato ei osculo pacis, quærens an com-
modum haberet diverforium, ut poterat
anxium consolatus est. Tum Daiberto

Sæculum XI,
A.C. 1094.

Archiepiscopo Pisano & Petro Legionen-
si curam commisit, Lamberto ejusque
itineris sociis hospitium præbendi, &
ipsorum sarcinas tuto transferendi, nam
ex castro S. Petri Romam commeantibus
præsidio militari opus erat. Guibertini
Palatium Crescentii, id est, Arcem S. An-
geli obtinebant, & pontem, quo Tiberis
jungitur, infestabant; namque nuper
Abbatem quemdam, ex Germania ad Pa-
pam a Gebhardo Episcopo Constantiensi
Legatum, captum in custodiam abstraxe-
rant.

Bertold.
1094.

Inter hæc Papa datis ad Archiepisco-
pum Remensem literis conquestus fue-
rat, quod adhucdum Cameracensibus bo-
næ causæ adversantibus aures præberet.
Illud quoque Papam offenderat, quod
Episcopum sibi elegissent Cameracenses
Gaucerium illius Ecclesiæ prius Archi-
diaconum, qui a nemine alio quam ab
Henrico Rege excommunicato Investi-
turam accipere volebat. E contrario
Electionem Manassis, quem plerique co-
optaverant, approbabat. Archiepisco-
po præcepit, ut Cameracenses moneret;
proxima Quadragesima cum suis tabulis
Romam se conferrent, quo etiam Attre-

Baluz. p.
262.
to. 10. Conc.
p. 450.
Cameracen-
ses contuma-
ces.

Hist. Eccles. Tom. XV. Y y ba-

Sæculum XI. batenses venturi essent ad petendam Ele-
A.C. 1094. ctionis peractæ confirmationem. Verum
 nulli Cameracensium Legati Romam
 profecti sunt, Attrebatensibus toto men-
 se ibi frustra expectantibus.

Ergo Papa convocato Concilio Epi-
 scoporum, Cardinalium, & multorum
 Romanorum, Lamberto absente, integra
 Acta Ecclesiæ Attrebatensis ad ejus ele-
 ctionem spectantia recitari iussit; quibus
 auditis Romani Lambertum sibi ipsis ex-
 petierunt, Episcopum Ostiensem ordi-
 nandum. Sed Papa Episcopatus Attre-
 batensis principia firmaturus, insuper ha-
 bita Romanorum postulatione, elapsis
 aliquot diebus, soli Lamberto colloca-
 tus, Dei omnipotentis & S. Petri nomine
 præcepit, ut ex virtute obedientiæ &
 pro remissione peccatorum suorum obla-
 tum Episcopatum reciperet. Paruit
 Lambertus, atque Dominica IV. Qua-
 dragesimæ, decima nona Martii, anno
 millesimo nonagesimo quarto, ab ipso Pa-
 pa Episcopus Attrebatensis consecratus
 est, Joanne Episcopo Tusculanensi, Hum-
 baldo Sabinensi, Joanne Portuensi, Bru-
 none Segniacensi, Daiberto Archiepisco-
 po Pisano, Presbyteris Cardinalibus, &
 Romanis plurimis præsentibus. Tum
 variæ Bullæ ad Archiepiscopum Remen-
 sem, Clericos Attrebatenses, Abbates &
 Abbatissas ejusdem Diocesis, ad Comi-
 tem

tem Flandriæ, & ipsum Lambertum Epi-
scopum, Institutionis suæ testes, expe-
ditæ. Sæculum XI.
A.C. 1094.

§. XVI.

Res civitatis Dolensis in Britannia.

Priusquam Roma discederet Lamber-
tus, Judicio interfuit, cum Papa sen-
tentiam Archiepiscopo Turonensi faven-
tem protulit. Anno superiore Rolan-
dus Episcopus Dolensis Romam venerat,
Pallium tanquam Archiepiscopus Britan-
niæ, petiturus; cumque exhibuisset Gre-
gorii VII. epistolas, quibus ille istud Ar-
chiepiscopale Ornamentum Ivoni Ante-
cessori suo, salvo Ecclesiæ Turonensis
jure, contulerat, Urbanus Papa ei quo-
que Pallium, eadem conditione adjecta,
concessit. Sed deinde Rudolphus Ar-
chiepiscopus Turonensis, ad Papam Be-
neventi degentem profectus, productis
literis probavit, hanc causam in ipso lo-
co pro Sede sua a Legatis Gregorii VII.
fuisse definitam. Episcopus Dolensis,
qui aderat, respondit, se non venisse ad
causam dicendam instructum. Tumque
utraque Parte consentiente Pontifex præ-
cepit, ut in medio Quadragesimæ anni
sequentis millesimi nonagesimi quarti,
ad causam suam defendendam parati,
Romam venirent, & si alteruter defu-
isset, causa caderet. Archiepiscopus Tu-

*Martenne
Collec. p. 66.
Sup. lib.
L. XII. §. 52.*

p. 62.

Xy 2

ronen-

Sæculum XI. ronensis præstituta die Romæ fuit, quã
 A.C. 1094. autem Episcopus Dolensis solummodo
 absentia suæ prætextum per nuncium
 misit, eo rejecto, Literisque Grego-
 rii VII. aliorumque Pontificum in hac
 causa editis, ad examen vocatis post-
 quam etiam Papa, quid Episcopus At-
 trebatensis, quinque Episcopi, qui ipsius
 Ordinationi adfuerant, & Judices Roma-
 ni sentirent, exquisivisset, pronunciavit;
 Episcopum Dolensem ceterosque Britan-
 niæ Episcopos deinceps Ecclesiam Turo-
 nensem Metropolim suam agnoscere, ei-
 que subjectos esse oportere. Hæc Bulla
 quinta Aprilis anno millesimo nonagesimo
 quarto data est.

§. XVII.

Geofridus Abbas Vindocinensis Romæ.

ep. 88. Urb. Anno superiore, Papa Guiberti Sectato-
M. S. res sine cæde & sanguine Roma ex-
 pulsus, literas dederat, quibus Catho-
 licos ad dandas Collectas ex Ecclesiarum
 censu excitabat, quod ex ipsius epistola
 ad Episcopos Aquitaniæ data dispicimus.
 Nemo autem magis Geofrido, nuper
 Abbate S. Trinitatis Vendocini electo,
 Pontifici profuit. Is enim cognitis at-
 gustiis & rerum omnium penuria, in qua
 Urbanus Papa versaretur, Romam ve-
 nit; multis insidiis & periculis non in-
Geofr. 1. itinere modo, sed etiam in Urbe supera-
ep. 8. tis,

tis, nam ne proderetur, famulorum suo-
 rum alieno habitu latere sæpe coactus
 est. Papam invisit noctu in ædibus Joan-
 nis Frangipani, ubi clam degebat, atque
 totius orbis Christiani Summum Ponti-
 ficem rebus omnibus destitutum, ac ære
 alieno oppido gravatum, habuit. Man-
 sitque ibi cum Urbano tota Quadragesi-
 ma anni millesimi nonagesimi quarti, ei
 oppitulans allata pecunia, quæ pretium
 duodecim millium Solidorum, seu cen-
 tum argenti marcarum exæquabat. Quin-
 decim ante Pascha diebus Ferruchius,
 cui Guibertus Antipapa Palatii Latera-
 nensis custodiam commiserat, misit ad
 Papam nuncios, qui pollicerentur, si pe-
 cuniam daret, Ferruchium Palatium &
 turrim ipsi dediturum esse. Papa hac de
 re cum Episcopis & Cardinalibus, qui
 apud ipsum erant, deliberavit, pecuniam
 petiit, sed cum & ipsi ab Adversariis mi-
 fere premerentur, ferme nihil obtinuit.
 Tunc vero Abbas Geofridus videns Pa-
 pam adeo afflictum, ut erumperent la-
 crymæ, ipsius lateri admotus, ait; pecu-
 niam Ferruchio offerre non dubitaret.
 Atque ut Schismaticorum avaritiam sa-
 tiaret, non pecuniam suam modo, quam
 habebat, sed etiam mularum suarum &
 equorum, quos vendidit, pretium im-
 pendit. Ita Papa Lateranum intravit,
 ejusque pedes sedentis in Cathedra Pon-
 tificali,

Sæculum XI.

A.C. 1094.

Sæculum XI. tificali, in qua jam diu nullus Papa Ca-
 A.C. 1094. tholicus * federat, primus omnium Geo-
 fridus osculatus est. Tunc etiam Urba-

* Legitimus.
 ep. 14.

Sirm. ad
 ep. 9.

nus Papa Abbatem Geofridum Ordine
 Presbyteratus insignivit, atque immisit
 in possessionem Ecclesiæ S. Priscæ, quam
 olim Alexander II. Papa Oderico Geo-
 fridi Antecessori & futuris Successoribus,
 cum Dignitate Cardinalitia, tradiderat,
 indeque Guibertini eos ejecerant. Ex-
 inde Abbates Vindocinenses per annos
 trecentos, cum Chartis subscriberent,
 Cardinales se dicebant.

§. XVIII.

S. Nicolaus Peregrinus.

Illa tempestate S. Nicolaus Peregrinus
 in Apulia omnium admirationem in se
 rapiebat. Is natione Græcus, patria At-
 ticus, in quodam vico prope *Sterion*, Mo-
 nasterium S. Lucæ junioris celeberrimum,
 in lucem editus, cum pauperes
 parentes nactus esset, nec literas, nec
 artem ullam didicit, sed octennis pue-
 rulus, oves ad pascua agere & custodire
 a matre jussus, in illo otio *Kyrie eleison*
 alta voce diu noctuque cantare coepit,
 quem morem deinde quoad vixit nun-
 quam dimisit. Mater cum filium ad si-
 lendum complere non potuisset, eum a
 Diabolo obsideri rata ad monachos *Sterionenses*
 deduxit, qui licet inclusum ob-

Sup. l. LV.
 s. 33.
 vit. av. Boll.
 2. Jun. to.
 14. p. 237.

verbe-

verberarent, obtinere tamen non poterant, ut a cantu cessaret. Nam puer omnibus, quæcunque inferebantur, patienter toleratis, semper *Kyrie eleison* suum repetebat. Ad matrem reversus, accepta securi, dolabra & cultro in montem ascendit, ubi ex amputatis cedrorum ramis cruces faciebat, easque in semitis atque etiam in locis inaccessis plantabat, continuo Deum laudans.

In illo monte Nicolaus, constructa sibi ex lignis cellula, aliquamdiu solus degit, semper laborans. Cum inde Nauptum seu Lepanthum venisset, quidam monachus nomine Bartholomæus se ei junxit, nunquam postea ab ipsius consuetudine avulsus. Ambo, conscensa nave, Hydruntum, Italiæ urbem, devecti sunt. Tum & in alias civitates commearunt, in quibus Nicolaus ab Italis jam pro viro Sancto, jam pro fatuo habebatur. Ipse quotidie usque ad vesperam jejunabat. Nullo autem alio cibo quam pauxillo panis & aqua nutriebatur, & nihilominus macilento corpore non erat. Plerasque noctes stans & orans transigebat. Tunica tegebatur non infra genua dependente, cruribus, pedibus, & capite nudus. Levem Crucem ligneam manugestabat, & in cingulo marsupium, ad recondendas eleemosynas, quas accipiebat, iisque sæpissime poma emebat, di-

Sæculum XI. sribuenda infantibus, qui procedentem
A.C. 1094. & *Kyrie eleison* cantantem secuti, voces
 suas jungebant.

In Italia cognomento Peregrinus ap-
 pellatus est, ubi complura edidit miracu-
 la, solemnem cantum suum semper re-
 petens, & omnes ad pœnitentiam exci-
 tans. Verum aliquoties ob exoticam
 agendi rationem tum ab aliis, tum et-
 iam ex mandato Episcoporum male ha-
 bitus est. Tarentum venit, indeque

p. 248.

p. 246.

Tranium, ubi morbo correptus Feria VII
 secunda Junii, anno millesimo nonagesi-
 mo quarto in juvenili ætate obiit. Plu-
 rimi ægrotantem invisebant, ejusque Be-
 nedictionem expetebant. At hominum
 multitudo ingens, cum ducerentur ipsius
 exequiæ, confluit. Sepulturæ solemni
 ritu mandatus est in Ecclesia Cathedrali,
 multisque defunctus claruit miraculis.
 Præcipue a periclitantibus & naufragium
 metuentibus, sicut S. Nicolaus Mirensis,
 invocabatur.

p. 250.

§. XIX.

Ecclesia Germanicæ.

In Hebdomada majore ejusdem anni,
 millesimi nonagesimi quarti, Gebhar-
 dus Episcopus Constantiensis, & Papæ in
 Germania Legatus, Synodum in sua Ec-
 clesia plurimis Abbatibus, Clericis, Pro-
 ceribusque illius Regionis præsentibus cele-

Bertold. to.
10. Conc. p.
497.

celebravit, in quo sequentes Canones Sæculum XI.
 iterum promulgati: Officio Divino, quod A. C. 1094.
 Sacerdotes Simoniaci, vel Incontinentes,
 celebrant, nemo Fidelium interfit. Jeju-
 nium mensis Martii semper in prima Qua-
 dragesimæ Septimana, & jejunium men-
 sis Junii in Septimana Pentecostes ser-
 vetur. Nempe ut hodieque servamus.
 Hucusque autem his Jejuniis fixum tem-
 pus non fuerat, quod cognoscimus ex Conc. Seleg.
 Concilio Seligenstadiensi, anno millesi-
 mo vigesimo secundo celebrato, in eo c. 2.
 enim jejunia quatuor temporum vaga
 dicuntur. In Concilio Constantiensi et- V. Sirm. ad
 iam illud statutum; ut Fideles in Hebdo- Gaufr. III.
 mada Paschæ & Pentecostes non plures ep. 23.
 quam tres dies festos haberent, cum
 prius in illa Diœcesi tota Hebdomada
 Paschali, & una solum die in Pentecoste
 feriarentur.

Hoc anno tristis contagio in Bavaria
 primum exorta, in reliquis exinde Ger-
 manix Provincias, atque etiam in Fran-
 ciam, Burgundiam, & Italiam pervasit.
 Qui vero supra vulgus sapiebant, malum
 salutare a Cœlo immissum esse cense-
 bant; quia enim paucissimi eorum, quos
 hæc lues corripuerat, mortem effugie-
 bant, infirmorum plerique serio animum
 ad ultimam luctam comparabant, & sin-
 cere pœnitentes ex hac vita migrare vi-
 debantur. Superstitibus quoque caupo-
 nas,

Y y 5

nas,

Bertold.

Sæculum XI. nas, & ludos devitabant, ad Sacram
 A.C. 1094. Confessionis tribunal convolabant, Salu-
 tem suam Sacerdotibus anxie commen-
 dabant.

Tunc temporis in Alfatia degebat
 Doctor aliquis Manegoldus de *Luten-
 bach*, qui communi illa calamitate in Re-
 ligionis emolumentum & salutem ani-
 marum solertissime usus est. Nam dum
 illa tabes diutius grassatur, nobiles viri
 feminaeque illius Regionis ad eum tur-
 matim contendunt, petentes ut ipsos ab
 excommunicatione absolveret illa pote-
 state, quam a Papa acceperat, sicque a
 Censura liberatis poenitentia injungeba-
 tur, atque a ceteris peccatis absolveban-
 tur. Inde Urbano Papæ additissimi Mil-
 itæ Presbyterorum Simoniacorum aut
 Concubinato pollutorum interesse recu-
 sabant. Manegoldus Monasterio Cano-
 nicorum Regularium Marbaci fundato
 in eorum Congregatione degebat. Ce-
 terum Urbanus Papa quoque Grego-
 rii VII. exemplum secutus, ut Excom-
 municationi modum poneret, multos a
 præcepto vitandi excommunicatos exe-
 mit.

§. XX.

Concilium Remense.

to. 10. p. 497. Eodem anno millesimo nonagesimo
 quarto, decima octava Septembris
 Con-

Concilium celebratum est Remis, jubente Rege Philippo, & sperante, se imperare posse, ut matrimonium suum cum Bertrada ratum haberetur, eoque facilius, quod Berta prima uxor hoc ipso anno fati functa esset. Adfuit ipse Rex cum tribus Archiepiscopis, Reinaldo Remensi, Richerio Senonensi, & Rudolpho Turonensi. Richerius vix summis Regis precibus exoratus venit, qui ei scripserat, Rainaldum usque adeo podagræ doloribus torqueri, ut ab Ecclesia sua abire non posset. Richerio Remos venienti idem honos habitus est, ac si hujus Sedis Archiepiscopus fuisset. Præterea huic Concilio interfuere Episcopi octo, Geofridus Parisiensis, Gualterius Meldensis, Hugo Sueffionensis, Elinandus Laudunensis, Radbodus Noviomensis, Gervinus Ambianensis, Hugo Silvaneftensis, & Lambertus Attrebatensis. Nam Lambertus Roma redux eodem anno in Ecclesiæ suæ Sedem in Festo Pentecostes solemnī pompa immissus fuerat, & tandem in isto Concilio Remensi in Festo S. Matthæi ab Archiepiscopo suo, cui obedientiam promisit, receptus est. Manasses vero Cameracensis, licet Papæ probaretur, quia Gaucerii Archidiaconi factio Schisma excitaverat, non nisi post longas moras consecratus.

Sæculum XI.
A.C. 1094.
Chro. S. P.
vivi. a. 1094.

Sæculum XI.

A.C. 1094.

ep. 35.

Ivo Carnutensis ad Concilium Re-
 mense invitatus, excusavit se, quod Ju-
 dicem competentem extra Provinciam
 suam nesciret, non ignarus, adfuturos,
 qui contra se actionem moverent, & quia
 sciebat, Adversarios suos odio implaca-
 bili in se ferri, ad Sacram Sedem appel-
 lavit. *Non ideo autem appello, dicebat,
 ut omne Judicium effugiam, facillime
 enim cuncta mihi objecta diluam. Ego
 perjurii accusor, qui nemini unquam si-
 dem jurejurando promisi. Præterea ab-
 sit, ut cuiquam exemplum temere agendi
 præbeam; nam periculo evidenti memet
 exponerem, eventu incerto; cum fidem
 publicam a Rege petierim, & non impetra-
 verim. Deinde si minas mihi ab Adversa-
 riis ingestas cogito, sperare non licet, so-
 re, ut ego in vestro Conventu libere ut de-
 cet vera proferre possem, ego inquam, qui
 ideo pessime habeor, atque perjurii & cri-
 minis læsæ Reipublicæ accusor, quia veri-
 tatem dixi, & Sedi Apostolicæ obediens
 fui. Verum ignoscite, si quod res est di-
 co, melius illis adulatoribus irascere mini,
 qui ulcus fovendum esse putant, quod igne
 ferroque ressecandum est, ne totum corpus
 pereat. Hoc de Rege intelligendum.*
 Tum prosequitur: *Si tanta vobis ac mi-
 hi constantia fuisset, agrotus noster sani-
 tati fuisset restitutus. Rex de me decer-
 nat, quæcunque permiserit Deus, oderit,*

viii.

vinculis oneret, proscribat; omnia pro
 lege Dei, ejus Gratia adjuvante, susline-
 re statui.

Sæculum XI.
 A.C. 1094.

§. XXI.

Concilium Augustodunense.

Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis
 querelas contra Papam Victorem
 tertium prolatas, & sententiam excom-
 municationis contra ipsum a Victore Pa-
 pa in Concilio Beneventano, anno mille-
 simo octogesimo septimo, pronunciatam
 supra memoravimus. Victore fatis fun-
 cto, Hugo Urbano Papæ adhæsit, affir-
 mans, quod a Communione Ecclesiæ Ro-
 manæ nunquam discessisset. Id de se
 ipso testatur in Epistola ad Comitissam
 Mathildem data, in qua de injuriis, a
 monachis Cluniacensibus sibi illatis, con-
 queritur. Inter alia memorat, Hugonem
 Cluniacensem Abbatem anno superiore
 in die Parasceves Orationem solitam pro
 Imperatore publice decantasse, ab aliis
 omissam, ex quo Henricus a Gregorio
 Papa excommunicatus & depositus fuis-
 set. *Cum vero interrogavi, inquit in sua
 Epistola Archiepiscopus, quare pro ex-
 communicato orasset, turbatus respondit,
 se illam Orationem pro quocunque demum
 Imperatore recitasse. Reposui, oratio-
 nem istam de alio quam de Romanorum
 Imperatore accipi non posse, tacuit ipse,
 sed*

Sup. lib.
 LXIII. §.
 33. 35.
 to. 10. Conc.
 p. 416. ex
 to. VI. Spi-
 cil.

Sæculum XI. *sed errorem emendare noluit.* Ex isto
 A.C. 1094. S. Hugonis Abbatis Cluniacensis factu
 erui posse videtur, quod non obstante
 Excommunicatione Henricum semper
 pro Imperatore habuerit. (*)

Hugo Archiepiscopus apud Urbanum II. Papam ita in Gratiam rediit, ut
 ei Pontifex Dignitatem Legati S. Sedis
 in Francia, qua sub Gregorio VII. emi-
 nuerat, reddiderit. Id Papæ consilium
 Ivoni Carnotensi summopere probaba-
 tur, qui Hugonem ad recipiendum Le-
 gati munus excitavit; nam ille ob tur-
 bas & Schisma Ecclesiæ tergiversabatur.
 Itaque Hugo, accepta Legati Pontificii
 potestate, Concilium Augustoduni, de-
 cima sexta Octobris, hoc anno millesimo
 nonagesimo quarto, celebravit, cui Epi-
 scopi triginta duo, & complures Abba-
 tes interfuerunt. Inter alios Rudolphus
 Archi-

to. 10. p. 500.
 Bertold.
 1094.

(*) Ex eo quidem, quod S. Hugo publice
 pro Henrico in Parasceve oraverit, omnino se-
 qui videtur; quod eum pro Imperatore habue-
 rit. At e contrario non sequitur, quod si illam
 orationem omisisset, eo ipso Henricum pro Im-
 peratore non amplius habuisset; poterat enim
 imo debebat, pro Henrico Christiano excommu-
 nicato secundum Ritus Ecclesiæ non publice,
 sed privatim orare, & eidem Henrico Impera-
 tori, etiam excommunicato, in rebus licitis &
 temporalibus juratam fidem præstare.

Archiepiscopus Turonensis, & Hoel Episcopus Cenomanensis advenisse leguntur. In eo Concilio Sententia excommunicationis contra Henricum Imperatorem & Guibertum Antipapam iterum promulgata. Rex Franciæ autem Philippus primo excommunicatus; quod Bertradam, uxore sua legitima superstite, duxisset. Monachis prohibitum, ne officio Parochorum in Ecclesiis Parochialibus fungerentur. Definita est causa inter Archiepiscopum Turonensem & Montys Martyrum Abbatem, qui fidem jurjurando promittere Archiepiscopo recusabat. Ab eo onere liberatus est Abbas, & utrique Parti præceptum, ut in pace viveret. Quod postea non observatum. Agitata est causa Guidonis Archiepiscopi Viennensis & S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani litigantium de Territorio Salmoriacensi, quod cum Archiepiscopus vi invasisset & Episcopus ad Sacram Sedem appellasset, Archiepiscopus missis Romam nunciis Confirmationem privilegiorum suorum, quibus & iste Articulus insertus erat, subreptitie obtinuerat. Cognito errore Urbanus Papa istud negotium Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi Legato suo discutendum commisit. Hic est ille Guido Archiepiscopus Viennensis, qui deinde sub nomine Callisti II. ad Summum Pontificatum pervenit.

Sæculum XI.
 A C. 1094.

Chr. Vird.
 p. 240.

Ivo. ep. 235.

Libell. Hug.
to 2. pœnit.
Theod. pag.
 525.

Rex

Sæculum XI.

A.C. 1094.

Rex Philippus, in eo Concilio excommunicatus, ut Pontificem placaret, Legatos Romam misit, qui jurejurando affirmarent, nullum amplius Regi suo illicitum commercium cum Bertrada esse, tumque Pontifici solerter insinuerent, nisi Philippo coronam redderet, & censuram Excommunicationis tolleret, hunc Principem se ipsius potestati subtracturum esse. Quamvis vero Ivo Carnotensis Papam datis literis præmonisset, Legationi huic fraudem subesse & mendacium, durare adulterii consuetudinem, non esse conversum Regem, qui si absolveretur, fore, ut omnes peccatores impunitatem sperarent. Nihilominus Papa, Legatis fidem habens, Regi inducias usque ad Festum Sanctorum omnium anno millesimo nonagesimo quinto concessit, interim Censuram sustulit, & more solito corona uti indulxit. Hæc epistola vigesima quarta Aprilis data est. Ut vero intelligat Lector, quæ hic de Corona dicuntur, notandum est; illa ætate Reges in Festis præcipuis, cultu Regio, & coronam, quam prius de manu Episcopi accipiebant, in capite gestantes, processisse. Ita Ivo Carnotensis memorat, eundem Regem Philippum semel in Natali Domini coronam de manu Archiepiscopi Turonensis, & aliquando in Pentecoste eam ab Episcopis quibusdam

Urb. ep. 36. inducias usque ad Festum Sanctorum omnium anno millesimo nonagesimo quinto concessit, interim Censuram sustulit, & more solito corona uti indulxit.

to. 10. Conc.

p. 464.

Ivo. ep. 66. sis memorat, eundem Regem Philippum

67. ep. 34. semel in Natali Domini coronam de manu Archiepiscopi Turonensis, & aliquando in Pentecoste eam ab Episcopis quibusdam

busdam Provinciae Belgicae accepisse. Sæculum XI.
 Cui Cæremonia cum Regis unctione & A. C. 1094.
 consecratione, semel cum Regnum au- Sup. l. LX.
 spicaretur adhiberi solita, nihil commu- S. 40.
 ne erat. Philippus vero Remis anno
 millesimo quinquagesimo nono a Gerva-
 sio Archiepiscopo consecratus fuerat.
 Nec etiam apparet, Philippo per excom-
 municationem de potestate Regia quid-
 quam fuisse detractum. (*)

§. XXII.

(*) In einer Anmerkung, welche die Gewalt
 der Könige und den Gehorsam der Unterthanen
 betrifft, ist unser Lutherischer Uebersetzer eben so
 unverschämt, als in allen vorigen. Auf seiner
 343. Seite im siebenten Theile, in meiner Latei-
 nischen Uebersetzung Tom. XII. p. 124. vernünfs-
 telt er also: Hier zeigt sich ein handgreiflicher
 Widerspruch zwischen dem ersten vorgebli-
 chen Pabste Petrus, und dem Pabste Ni-
 colaus.

Antwort: Man versteht wohl, was dieser vore-
 geblich Evangelische, das ist, Lutherische Ueberset-
 zer mit dem Wörtlein vorgeblich sagen will.
 Allein, daß der Heilige Petrus zu Rom gewesen,
 und die Kirche gestiftet, hat bis auf diese Stunde
 das ganze Lutherthum, um alles andere zu verschweis-
 gen, nur dem einzigen Zeugniß des Heiligen Ire-
 næus im IV. Buche contra Hæreses, keine erträg-
 liche Antwort entgegen setzen können, allwo er sa-
 get, wie es der Lutheraner selbst übersezt hat, in
 seinem ersten Theile auf der 418. Seite, in meiner

Hist. Eccles. Tom. XV. Z z Uebers

Sæculum XI.
A.C. 1094.

§. XXII.

Concilium Placentinum.

Urbanum Papam, jam diu ante Roma
egressum, & Festum Nativitatis Do-
mini

Uebersetzung Lib. IV. pag. 634. Weil aber die
Nachfolge aller Kirchen zu erzählen allzu-
lang fallen würde, so wollen wir nur die
mündliche Fortpflanzung der allergrösten
und allerältesten Kirche bemerken, die in der
ganzen Welt bekannt, und durch die glorreiche
Apostel Petrus und Paulus zu Rom ge-
stiftet worden ist. Durch diese Lehre, die sie
von den Aposteln empfangen hat, und durch
diesen den Menschen verkündigten, und durch
die Folgen der Bischöfe bis auf uns erhaltenen
Glauben, beschämen wir alle diejenigen,
welche unrechtmäßige Zusammenkünfte hal-
ten, es geschehe auf welche Art es immer
wolle, aus Eigenliebe, eitler Ruhmsucht,
Blindheit, oder Bosheit zc. Das sind die ei-
genen Worte in der Uebersetzung unsers Luther-
ners aus dem Fleury und Heiligen Irenæus, der
im zweyten Jahrhundert gelebet hat, mit welchen
er sich selbst und seine so genannte Evangelische
Kirche beschämet und überführet, daß sie nicht die
Kirche Jesu Christi, sondern eine unrechtmäßige
Zusammenkunft sey, sie möge von der Eigenliebe,
eitler Ruhmsucht, Blindheit, oder Bosheit an-
fänglich hergerühret haben.

Wir wollen aber den Lutheraner ferner anhö-
ren: Jener (Pabst Petrus) saget er, dringet
mit

mini anno millesimo nonagesimo quarto Sæculum XI.
 in Tuscia celebrantem, Daibertus Archi- A. C. 1094.
 episcopus Pisanus omni obsequii genere Bertold.
 profecutus est; dum inter hæc Impera- 1095.
 tor Henricus in Longobardia moratur,
 Zz 2 prope-

mit grossem Ernste darauf, daß die Christen dem Könige als dem Obersten unterthänig, und gehorsam seyn sollen; dieser aber (Nicolaus) will, daß die Unterthanen eher nicht gehorchen sollen, als bis sie von der Rechtsmäßigkeit ihrer Herrschaft überzogen sind... Er machet die böshafte Einschränkung und saget, wenn er es allen andern in Tugenden zuvor thut. Durch diesen schandbaren Satz und malitieuſe Auslegung der Worte Petri wird der Stand und die Hoheit der weltlichen Fürsten auf eine gefährliche Klippe geführt....

Antwort: Ja vielmehr durch diese uneingeschränkte Auslegung der Worte Pabstes Nicolai I. welchen die Voreltern unsers ungezogenen Lutherans und die ganze Christliche Welt damal verchret hat, verräth er ein böshafte, schandbares und malitieuſes Gemüth. Denn dieses Schreiben Pabstes Nicolai muß unſtreitig also ausgeleget werden, daß man nur alsdenn einem Fürsten zu gehorsamen nicht schuldig ist, wenn er etwas wider das ausdrückliche Gebot Gottes beſiehet, weil Nicolaus selbst den Brief mit den Worten schliesſet: Und gehorchet ihm, wie der Apostel saget, um Gottes willen, nicht aber wider Gott. Wie es der Lutheraner selbst gegeben hat. Wie auch

Sæculum XI. propemodum tota Dignitate Cæsarea
A.C. 1094. exutus; quippe exercitus robur Conrado Regi, filio ejus, Comitissæ Mathildis & Urbani Papæ partibus addicto parebat. Ceterum sub idem tempus Guelpho

auch ein jeder die Wahrheit liebender Leser aus dem Zusammenhang der Geschichte alsobald ersieht, daß der Pabst Nicolaus nichts anders von den Bischöfen in Frankreich verlanget hat, als daß sie mit dem König Lotharius, so lang er die Waldrada bey sich behalten würde, nicht communiciren, und dadurch seinen Ehebruch nicht gut heißen sollen.

Nun zum Beschluß seiner böshafter Anmerkung saget unser Lutheraner: Man siehet aus diesem Exempel, wie zeitig im Pabstthume der Grund geleget worden, die Hoheit der weltlichen Regenten zu untergraben. . . . Diesen Satz hat man im Pabstthume nicht verleugnet; vielmehr haben ihn die Jesuiten aufs äußerste getrieben, wie aus der erst neulich herausgekommenen Schrift zu ersehen ist, die den Titel führet: *Les Jesuites criminels de leze Majesté dans la Theorie & dans la Pratique*, welches Buch eine durchgängige Aufmerksamkeit regierender Fürsten verdienet. Hier verleumdet der Lutherische Uebersetzer zugleich die Römische Kirche und einen ansehnlichen geistlichen Orden. Denn daß man diesen Satz jemal in der Römischen Kirche gelehret habe, ist eine Unwahrheit. Wie kommen ihm aber die Herren Jesuit

pho Dux Mathildem uxorem dimisit, af- Sæculum XI.
 firmans, se, quamvis eam sponsam du- A.C. 1093.
 xisset, nunquam tamen apud hanc ma-
 tronam maritali licentia usum fuisse.
 Dux vero Bavarix, Welphonis parens,
 Zz 3 his

ten in die Feder? Nämlich, er will zeigen, daß er mit den Freygeistern, Indifferentisten, Religions-Spöttern, und einigen Protestanten, ein geschworner Feind der Mönche, und insbesondre dieses heiligen Ordens sey. Ich weiß nicht, was dieses für eine Scharteck ist, Les Jesuites Criminels &c. Wenn aber unser Uebersetzer die Billigkeit liebet, soll er entgegen Kurze Anmerkungen über das Betragen des Ministers in Portugall in denen Händeln der Jesuiten aus der Welschen in die Deutsche Sprache übersezet. Frankfurt und Leipzig 1761. und mehr andre dergleichen Schriften lesen, in welchen neue und alte Verleumdungen, über diesen Orden, gründlich widerlegt werden. Es kommen viel andere lästerliche Anmerkungen vor in dem siebenten Theile des Deutschen Uebersetzers des Fleury, die keiner Antwort werth sind. Ob schon aber dieser vermunzte Magdeburger den Fleury, so gut er kann, verhunzet, so wird doch allezeit ein vernünftiger Protestant aus dieser seiner Arbeit, sonderlich aus der niemal unterbrochenen Folge der Päbste, und beständiger Gemeinschaft mit dem Römischen Stuhle der Bischöfe so wohl als der Könige und Fürsten überführet werden, daß Jesus Christus nur allein die Römisch-Katholische Kirche, oder keine gestiftet hat.

Sæculum XI. his conjugibus reconciliandis frustra ad-
A.C. 1095. laboravit.

to. 10. Conc. p. 501. Cum Urbani Papæ auctoritas in Italia invalesceret, Concilium universale, in Longobardia & in medio Schismaticorum positus, celebravit, convocatis ex Italia, Burgundia, Francia, Germania, Bavaria, aliisque provinciis, Episcopis. Nam adfuere Episcopi ducenti, Clericorum millia ferme quatuor, & Laicorum plus quam triginta millia. Cumque nulla Ecclesia tantam hominum multitudinem continere posset, Conventus in patulo campo habendus fuit. Initium huic Concilio datum est prima die Martii anno millesimo nonagesimo quinto, Feria V. in medio Quadragesimæ, septem sequentibus diebus continuatum. Ad-
Sup. S. 12. venerat Praxedis, alio nomine Adelhaidis, Imperatrix contra Imperatorem Henricum conjugem suum querelas afferens; nam illa ex manibus Excubitorum elapsa ad Mathildem Comitissam confugerat, quæ amice exceptam ad Concilium deduxit. In eo itaque Praxedis ultimam petulantiam & nefanda opprobria, quæ Regina & conjux, jubente Henrico marito, perferre coacta fuerat, ad Papam defert, & publice confitetur. Urbanus, cum cognovisset, invitam fuisse inauditis contumeliis læsam, a pœnitentia qualicunque eam absolvit;
sed

sed ipsa nihilominus in quoddam mulie-
rum Monasterium se recepit, ubi Sancto
fine quievit. At ubi Henrici insana in
conjugem innocentem perfidia in vul-
gus sparsa est, multi, qui ejus partibus
favebant, defecerunt.

Sæculum XI.
A. C. 1095.

Ad hanc Synodum Philippus Rex Gal-
liarum, missis Legatis, significari jussit,
se iter Placentiam quidem suscepisse, sed
legitimis de causis ultra progredi prohi-
bitum fuisse. Petebat vero inducias us-
que ad Pentecostem, quas Pontifex, ab
Episcopis rogatus, concessit. Hugo au-
tem Archiepiscopus Lugdunensis, ad
hanc Synodum vocatus, quod nec ve-
nisset, nec per nuncios Canonicam ex-
cusationem misisset, ab Officio Sacerdo-
tali suspensus est.

Legatio quoque Alexii Comneni, Im-
peratoris Constantinopolitani, ad Con-
cilium Placentinum pervenit, qui Do-
minum Papam & omnes Fideles rogari
jusserat, ut auxilium sibi conferrent con-
tra Paganos pro defensione Sanctæ Ec-
clesiæ, quam in Oriente pæne delevi-
sent. Tanta quippe eorum erat poten-
tia, ut muros Civitatis Constantinopoli-
tanæ infestarent. Ergo ad opem feren-
dam Papa multos permovit, qui edito ju-
ramento ad hanc profectionem, & ad
suc-

Sæculum XI. succurendum Imperatori Constantinopoli-
A.C. 1095. litano se se obstrinxerunt. (*)

In eo etiam Concilio Hæresis Berengarii iterum damnata, & sententia Catholicæ Fidei firmata; quod panis & vinum, cum in Altari consecrantur, non solum figurate, sed vere & quoad substantiam in Corpus & Sanguinem Domini Nostri convertantur. (**). Item, damnata Hæresis Nicolaitarum, id est, Presbyterorum aliorumque in majoribus Ordinibus Clericorum, qui ad continentiam se non obligari dicebant. Ipsius Officio suo interdictum, & populo prohibitum, ne, hujusmodi Clericis ministrantibus, interessent. (***) Præterea quæ de Simonia-

c. 1. 2. 3.

(*) Ex his iterum elucet, non tale fuisse Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis Schisma, quale Interpres Protestans jactat.

(**) Hier wird der Sächsische Uebersetzer, welcher immer einzelne Personen, obwohl fälschlich, als zum Exempel einen Rabanum Maurum, anrühmet, durch das Zeugniß vieler tausend Christen in einer der zahlreichsten Kirchensammlungen von der wahren Gegenwart Christi im heiligen Sacramente des Altars überführt. Wenn diese Lehre irrig wäre, so hätte Christus der Herr zugelassen, daß man seine wahre Lehre nur in Winkeln, die falsche aber auf den Dächern und im Angesichte der ganzen Christenheit geprediget hätte.

(***) Non nemo in Apparatu de Fontibus Theo-

moniacis a Summis Pontificibus statuta olim fuerant, confirmantur. Prohibetur, ne pro Sacro Chrismate, pro Baptismo, aut Sepultura a Fidelibus quidquam exigatur. Ordinationes a Guiberto Antipapa, aliisque Episcopis intrusis, aut nominatim excommunicatis, peractæ, declarantur nullæ; sed indulgentia conceditur illis, qui, nullo Simonix vitio, a Simoniacis vel Schismaticis, sibi non cognitis, ordinati fuerant, aut qui Ecclesiis, Simonix vitio obtentis, renunciaverant. Salva tamen antiquorum Canonum auctoritate, nisi necessitas aliud petat. Jejunium quatuor temporum figitur illis diebus, quibus illud etiamnum servamus. Ad pœnitentiam non recipiantur, qui Concubinatam, odium proximi, aut quodcunque aliud peccatum mortale dimittere noluerint.

Z z 5 Nullus

Sæculum XI.
A.C. 1095.

c. 8. 9.

c. 10. 4. &c.

Theologicis p. 68. dicit: *Sunt qui cum Fleurio Hæresis Nicolaitarum unum e septem Nascentis Ecclesiæ Diaconis Authorem tradunt. Sed de Fleurio id minime gentium affirmari potest, postquam Nicolaum Diaconum prolixè defendit Lib. II. §. XXI. his verbis sermonem claudit: Quibus non obstantibus, hoc Diaconi Nicolai verbum, & de qua diximus actio, non nullis occasio fuit, Leges matrimonii contemnendi, Nicolai Nominè, quem Secta Authorem mentiebantur, quasi pallio tectis.*

Sæculum XI. Nullus Sacerdos Fidelem ad Pœnitentiam recipiat, nisi id ipsi ab Episcopo commissum fuerit. Sacramenta illis non denegentur, qui excommunicatis corpore solum præsentibus cum iisdem in Sacramentis non communicant. Ceterum in hac Synodo Placentina Pontifex Præfationem in Missa numero decimam, quæ est de Beata Virgine, instituisse dicitur.

Bertold.

§. XXIII.

Alicæ Res Italice.

Concilio soluto, Cremonam divertit Pontifex, cui occurrens juvenis Rex Conradus, Henrici filius, Equisonis obsequia exhibuit. Ita Papa, decima die Aprilis, urbem intravit. Ei Conradus Rex fidem juravit, promittens, se Pontificis vitam, membra & Dignitatem Pontificiam conservaturum. In vicem Papa Conradum in Ecclesiæ Romanæ filium recepit, consilium & opem ad stabilendum ejus Regnum atque ad Coronam Cæsaream obtinendam promisit, ea conditione, si Investituris renunciaret. Ivo Carnotensis data ad Papam epistola læticiam suam professus est, quod Regnum Italiæ ad obedientiam Pontificis fuisset reductum, & juvenem Regem sibi obnoxium haberet.

Bertold.

ep. 43.

Arnulphi Archiepiscopi Mediolanensis, anno millesimo nonagesimo tertio electi

electi institutio, quod de manu Henrici Imperatoris per anulum & Baculum pastoralis Investituram accepisset, a Legato Papæ nulla declarata fuerat. Ac quieverat vero Arnulphus, & in monasterium quoddam se receperat, usque dum Papa ad illam provinciam deveniens, & nolens Sedem Mediolanensem diutius Pastore privari, eum a *Dimone* seu Thiemone Archiepiscopo Salisburgensi, Udalrico Episcopo Passaviensi, & Gebhardo Constantiensi, qui Concilio Placentino interfuerant, consecrari iussit. Verum Arnulphus anno sequente millesimo sexagesimo sexto mortuus Anselmo IV. Successori locum dedit.

§. XXIV.

Rex Angliæ S. Anselmo irascitur.

Guilielmus Rufus Rex Angliæ, neutri eorum, qui se Summos Pontifices dicebant, hucusque addictus, duos ex Sacellanis suis Clericos Girardum & Guilielmum Romam misit, exploraturos, quis Legitimus esset Pontifex. Iisdem mandatum; apud Pontificem summis precibus, si possent, efficerent, ut Pallium Archiepiscopo Cantuariensi conferendum ad manus Regis dirigeretur. Illi, cognito, quod Urbanus esset solus Pontifex, & obsequio quod exoptabat Rex ab eo impetrato, in Angliam revertuntur,

Sæculum XI.

A.C. 1095.

Ughell. to. 4.

p. 158.

Edmer. 2.

Novor.

Sæculum XI. huntur, cum Gualterio Episcopo Alba-
 A.C. 1095. nensi, clanculo Pallium deferente, at-
 que aliquot diebus ante Pentecostes Fe-
 stum, quod hoc anno millesimo nonage-
 simo quinto die decima tertia Maji cele-
 brandum erat, ad Regem perveniunt. Eo autem consilio hæc agebat Rex, ut, Anselmo deposito, alium Archiepiscopum in Sede Cantuariensi, auctoritate Romani Pontificis collocaret. Causa vero, ob quam Rex indignabatur, hæc erat.

1. Novor.
 p. 38.

Anno præterito Rex, Normanniæ Du-
 cem Robertum fratrem suum Ducatu
 spoliaturus, & arma ei inferre parans,
 pecuniæ vim quantam poterat undique
 cogebat. Anselmus nuper in Cathe-
 dram Cantuariensem evectus Regi ar-
 genti libras quingentas obtulit, id sua-
 dentibus amicis; quod hæc facillima es-
 set via, qua Regem sibi demereri, & Ec-
 clesiæ suæ Patronum deinceps habere
 posset. Regi quidem placebat Archi-
 episcopi donum, sed non defuere susur-
 rones, qui dicerent: *Supra omnium Opti-
 matum & Principum conditionem, Rex,
 hominem evexisti; nunc vero tibi pecunia
 indigenti quingentas libellas offerre non
 erubescit, quem, si grato animo esset, sal-
 tem mille vel duo millia suppeditare oportu-
 iisset. Expecta, offensum vultum osten-
 de Præsuli! & inter fortunæ beneficia*
 name-

numerabit, si alterum tantum ab eo recipere dignatus fueris. Ergo Rex renunciari Archiepiscopo jubet; servaret plane sibi tantillum pecuniæ avarus Sacerdos. Et Anselmus, rem altiore mente perpendens, *Benedictus optimus Deus!* inquit, *qui non permisit, ut famæ meæ labem inferrem. Si enim pecuniam dono datam a me Rex accepisset, multis credendi occasionem præbuissem; simulari gratitudinem animi, meque potius in ærarium Regis pecuniam contulisse, quam non sine Simonia crimine pro Archiepiscopatu me daturum stipulatus fuisset. Satius erit profecto, banc pecuniam pro Salute Regis largiri pauperibus.*

Haud multo exinde elapso tempore, plerique Episcoporum & Procerum jubente Rege Othonam * convenerunt, in Normanniam navigaturo auspiciatum iter precaturi. Ibidem venti contrarii Regem toto mense morati sunt. Quadam die cum Archiepiscopus ad Regem invisisset, & de more ipsi proximus sederet, *ut expeditio quam moliris, inquit, o Rex! feliciter tibi eveniat, nihil prius tibi agendum censeo, quam ut nobis tuum præsidium concedas, ad stabiliendam in Regno tuo Religionem jam prope subversam. Respondit Rex: De quo tu mihi præsidio? Et Anselmus: jube, ut Concilia pro more antiquo celebrentur. Nul-*
lum

Sæculum XI.
A.C. 1095.

* Hastings.

Sæculum XI. *lum enim Generale in Anglia, ex quo tu*
A.C. 1095. *Rex es, & longo tempore antea, celebra-*
tum. Interim impii inulta crimina au-
ferunt, & paulatim consuetudine appro-
bantur. Concilia habebitis, inquit Rex,
quando voluero. Nunc alia cogito: sub-
junxit illudens, quid vero, si Concilium
convocaretur, in eo dicturus esses? Tum
Archiepiscopus: Multa haberem, quæ
afferrem, de nuptiis incestis, de flagitiis,
quæ abominantur omnes Probi, bis ultimis
temporibus in Anglia grassantibus, & pro
quibus atroces pænæ irrogandæ sunt, ut
impiorum audacia in toto Regno coercea-
tur. Cui Rex: Quod vero lucrum, si
hæc fierent, ad te redibit? Archiepisco-
pus: Si nihil mihi, certe Deo & tibi ipsi
plurimum lucri accresceret. Satis de his,
reposuit Rex, nolo ut quidquam addas.
Tum Archiepiscopus mutata sermonis
materia, inquit, Complures Abbatia sine
Pastore sunt, unde fit, quod Monachi mo-
re Sacularium vivant, & sine pænitentia
decedant. Suadeo itaque & enixe rogo,
ut illis monasteriis Abbates constituas.
Nec tantam rem a te omitti posse existi-
mo, si salutem tuam amas. At Rex, iram
non tenens, quid ista ad te? nunquid meum
non est de Abbatibus meis decernere? de
prædiis tuis, quod vis, statuis; at mihi
Abbatibus meis, ut placet, uti non liceat?
Tuæ quidem sunt, reposuit Præsul, quas
tuea-

tuearis, non vero exspolies. Sed & Dei Sæculum XI,
A. C. 1095.
sunt illa monasteria, unde servi ejus vi-
uant, non unde tu babeas, quibus bella tua
geras. Sunt tibi amplissima matrimonia,
& non exigui census, quibus Regiæ Maje-
statis splendorem sustentent. Sine Eccle-
siam rebus suis frui. Ad hæc Rex: Scias
velim, me hisce tetricis sermonibus non
parum fatigari. Antecessori tuo, tanta
audaciæ verba parenti meo ingerere, im-
pune non fuisset. Frustra es, nihil a me
obtinebis. Anselmus, videns se aerem
verberare, surgit & discedit. Postmo-
dum autem, cum intelligeret, quantum
Ecclesiæ interesset, Regem sibi faventem
habere, misit, qui eum rogarent, ut Ar-
chiepiscopo reconciliari dignaretur, vel
diceret, in quo ab eo fuisset offensus.
Respondit Guilielmus: se nec Archiepi-
scopum alicujus delicti accusare, nec et-
iam ejus amicitiam quarere. Episcopi
vero Anselmo suggerebant, eam solam
cum Rege in gratiam redeundi viam su-
pereffe, si ei pecuniam daret. Quod
consilium ut amplecteretur Archiepisco-
pus adduci non potuit, haud ignarus,
quam mali exempli rem facturus esset.

Illo nempe tempore Anselmus Hugo-
 nem Archiepiscopum Lugdunensem con-
 suluit, quid sibi, Regis animo ita compa-
 rato, faciendum suaderet. *Sunt prædia, III. ep. 24.*
 inquit in illa epistola, *quæ, priusquam*
Nor-

Sæculum XI. A.C. 1095. *Normanni in Angliam advecti fuissent, Equestris ordinis viri ex Gente Anglorum ab Ecclesia Cantuariensi jure Feudali obtinebant. Mortui sunt Equites nullis relictis liberis, putatque Rex se hos fundos, quibuscunque libuerit, conferre posse. Ego vero sic censeo: Rex mihi concessit Ecclesiam Archiepiscopalem Cantuariensem eo modo, quo eam Lanfrancus Antecessor meus usque ad vitæ suæ finem possedit; nunc autem eidem Ecclesiæ illa aufert, quibus Lanfrancus tanto tempore in pace fruebatur. Præterea, ut certus sum, hic Archiepiscopatus alteri non aliis conditionibus conferetur, quam iisdem, quibus eum in die mortis meæ obtinero, & si, me superstite, alius Regno Angliæ potiatur, plura non dabit, quam me prius possedisse videbit. Ita Ecclesia bis agris mea culpa privabitur; cum enim Rex Ecclesiæ Advocatus & ego Custos sim, nemini, quidquid egerimus, reclamare licebit. Malo itaque territoriis Ecclesiæ cavere, quam ea conditionibus istis possidere. Fungar Episcopi Officiis pauper, juxta exemplum Apostolorum, unde omnes cognoscant, vim mihi inferri. Sicque Ecclesia mea irreparabile detrimentum, saltem me auctore, non patietur. Si Episcopus consecratus toto primo anno Papam non adeo, nec Pallium peto, mea dignitate privari mereor. Si vero sine Archiepiscopatus*
jactu

jactura Papam adire mihi non datur, præstat, ut vi dejiciar; vel potius ut Archiepiscopatu cedam, quam Papæ communionem abjiciam. Idque facturum sum, nisi hujusmodi argumenta attuleris, quæ me a proposito dimovere queant.

Rex Guilielmus Rufus expeditionem quidem in Normanniam suscepit, sed re infecta in Angliam rediit. Tunc vero Anselmus Regem adit, dicitque, quod vellet ad Papam proficisci, Pallium suum petiturus. *Ad quem tu Papam?* inquit Rex. Cumque respondisset Anselmus: *ad Urbanum Papam, rursus Rex: necdum eum Papam recepi. Nec ego & parens meus pati consuevimus, ut in Anglia sine nostro consensu aliquis Papa recipiatur, qui vero mihi hoc jus, una etiam coronam rapere videretur.* Anselmus, his verbis in admirationem raptus, commemoravit, quod priusquam Rosæ eligi se consensisset, dixisset Regi, se, cum Abbas Beccensis esset, Urbanum Papam agnovisse, a quo nunquam esset defecturus. At Rex acriter æstuans exclamare; fidem sibi juratam frangere Anselmum, si se invito Papæ potestatem vereretur. Tum petiit Anselmus inducias ad convocandos Episcopos & Optimates, ex quorum sententia quæstio solveretur, an Regi fidem, Salva Sacræ Sedi debita obedientia, servare posset. *Si enim, a-*
Hist. Eccles. Tom. XV. A a a bat,

Sæculum XI.
 A. C. 1095.

Sup. §. 9.

Sæculum XI. bat, *utrique satisfacere non possum, e Re-*
A. C. 1095. *gno tuo excedere, donec Papam recipias,*
quam me ejus Jurisdictioni vel uno mo-
mento subtrahere, malo. Ergo Rex Con-
ventum Rochinghamiæ ad Dominicam,
diem undecimam Martii, anno millesi-
mo nonagesimo quinto, indici jussit.

§. XXV.

Conventus Rochinghamiensis.

10. 10. Conc. **P**ræstituta die Rex cum suis consultavit.
 p. 494. Anselmus autem ad Episcopos, ma-
 gna Clericorum & Laicorum frequentia,
 verba fecit. Commemoravit; se ad su-
 scipiendum Episcopatum compulsus, ea
 addita conditione tantum onus subiisse,
 ut quoad viveret nunquam Urbani Pa-
 pæ jurisdictionem abjiceret. Tum pe-
 tiit, ut se consilio levarent, qua demum
 ratione tam Regi, quam Papæ fidem ser-
 vare valeret. Responderunt Episcopi,
 viro sapientissimo ipsorum consilio opus
 non esse, adjicientes: *Attamen si jubes,*
verba tua Domino Regi referemus. An-
 selmus adductis testimoniis ex Evange-
 lio, de auctoritate S. Petri, ceterorum-
 que Apostolorum, atque etiam quod cun-
 cti debeant terrenis Principibus subdi-
 peroravit in hunc modum: *Hanc solam*
agendi normam sequar. In his quæ Dei
sunt Vicario Beati Petri obediam, & in
bis, quæ Dignitati Domini mei Regis
com-

competunt, consilium & auxilium pro vi-
ribus meis impendam.

Sæculum XI.
A.C. 1095.

Episcopi nihil habentes quod Anselmo objicerent, postquam Regi collocuti fuissent, reversi dixerunt: *Perpende, quid agas, obsecramus te! abjice obedientiam Urbani illius, qui Rege offenso nil tibi prodesse, nec ipso placato tibi quidquam obesse valet. Subjectionis jugum excute, ut Archiepiscopum Cantuariensem decet. Solius Regis voluntati obsequere; sic tibi ignoscet, & inimicorum tuorum insolentia, si te in Dignitate confirmatum conspexerint, comprimetur.* His vero constantissimus vir neutiquam fractus ab omnibus postulabat, ut aliquis demonstraret, si posset, quod ideo, quia Papæ legitimi auctoritatem spernere nollet, Fidem Regi debitam violaret. Sed nemo eorum difficilem provinciam in se suscipere audebat, quin fatebantur, Archiepiscopum Cantuariensem præter Papam nullum habere Judicem.

Nemo magis Regis animum contra Anselmum accendebat quam Guilielmus Episcopus Dunelmensis, vir, ingenii facilis & jucundi, quin etiam facundia præditus, sed prudentia destitutus. Is Regi promiserat, effecturum se, ut Anselmus vel Urbano Papæ renunciaret, vel Archiepiscopatu se abdicaret; nam ipse Dunelmensis, amoto Anselmo, ad tan-

A a a 2

tum

Sæculum XI. tum fastigium eluctandi spe mulcebatur.
 A. C. 1095. Itaque Rege cum Episcopis jurgante, quod
 Res Ecclesiæ ipsum hoc negotio intempestive involvis-
 Cantuarien- sent, cum Anselmum condemnare non pos-
 sis. sent, Episcopus Dunelmensis temere præ-
 ceptis: *Rex es, ait, in Anglia omnia potes,*
repete quod dedisti pedum & annulum, &
refractarium e Regno tuo ejice. At con-
 silium violentum Optimatibus non pro-
 babatur. Rex tamen Episcopis præce-
 pit; Anselmo omne obedientiæ genus
 denegarent, & nullo commercio ei jun-
 gerentur, adjiciens, se quidem Anselmum
 pro Archiepiscopo non amplius habere.
 Promiserunt Episcopi, quod Rex pete-
 bat, cumque Regis verba ad Anselmum
 retulissent, ille, *ego vero, ait, vos semper*
pro Fratribus meis & Ecclesiæ Cantua-
riensis filiis habebō, & nihil relinquam in-
tentatum, quo vos ab errore ad sanio-rem
mentem reducere queam. Regi autem pa-
ternum affectum & omnia obsequia, si ea
patri possit, promitto. Cum vero Rex
 Optimates quoque, ad Episcoporum
 exemplum, Anselmo nec ullatenus obe-
 dire, nec ejus omnino amicitiam colere,
 juberet, responderunt: *Non sumus qui-*
dem Anselmi Vasalli, nec ei quocunque fi-
dei juramento obstringimur; sed Archi-
episcopum nostrum veneramur, cujus est
in hoc Regno de rebus ad Religionem spe-
ctantibus decernere, & cum Christiani si-
mus,

mus, Regimini bujus viri, nullius criminis rei, nos subtrahere non possumus.

Sæculum XI.

A. C. 1095.

Hæc Procerum moderatio Episcopos magno pudore affecit, Laicis plerisque indignantibus, & alterum Episcoporum Judam, alterum Pilatum, alterum Herodem per ludibrium appellantibus. Multi dicebant, ideo tantum Episcopos cupere se Anselmi Archiepiscopi potestati subducere, quod diceret Anselmus, se auctoritatem suam ab Urbano Papa accepisse. Cumque hac arguendi libertate Regem sibi infensum reddidissent, in ejus gratiam, collata magna pecuniæ vi, redierunt. At Anselmus intelligens se jam tuto in Anglia versari non posse; nam periculum Rex ipse imprudens prodiderat, manum militum præsidariam ab eo petiit, quæ ipsum e Regno discedentem deduceret, alibi moraturum, dum tempestas in Anglia defervesceret. Hæc Archiepiscopi postulatio Regem non parum turbavit; quamvis enim discessum Præfulis vehementissime exoptaret, eum tamen Dignitate Pontificali adhuc præditum abire nolebat, nec modus occurrebat, quo deponi prius posset. Tandem placuit Præfuli inducias usque ad Pentecostem statuere, quo temporis spatio nihil rerum omnium mutatum iri promisit. Sed fidem datam violavit; nam monachum Balduinum interea, quo

Sæculum XI. A.C. 1095. cariorum Archiepiscopus habebat ne-
minem, videlicet arcanorum omnium
conscium, ex Anglia proscriptis, ejus-
que Cubicularium Præsule inspectan-
te ex conclavi ad vincula rapi iussit;
ut de aliis injuriis nihil dicamus.

§. XXVI.

S. Anselmus Pallium accipit.

Induciarum tempore ad finem vergen-
te, Gualterius, Episcopus Albanensis,
Urbani Papæ Legatus, in Angliam appu-
lit. Per Civitatem Cantuariensem clam
transiit, ne inaudiret Archiepiscopus,
ad Regem festinans. Nemini in itinere
de Pallio, quod deferebat, locutus, nec
omnino cum quoquam nisi duobus Ca-
pellanis Regiis, qui proficiscentem co-
mitabantur, præsentibus familiariter ser-
monem conferuit; ita enim iusserat Rex,
ne sua consilia vulgarentur. Ubi Lega-
tus in Regis conspectu fuit, talia dixit,
quæ Principi grata futura esse sciebat,
nulla Anselmi mentione injecta. Mirum
id vero omnibus videbatur, qui Lega-
tum pacem allaturum esse speraverant,
dicebantque: *Si Romani pecuniam Jus-
titie præponunt, quid auxilii inde expe-
ctent pauperes, quibus aurum non est, quod
largiantur?* Ergo Rex cum Legatum
sibi haberet obnoxium, & omnia quæ
petierat nomine Pontificis promitten-
tem,

tem, si modo Urbanum, Legitimum Pa- Sæculum XI.
 pam, agnosceret, conditione accepta, A. C. 1095.
 missisque per totum Regnum mandatis,
 eum Legitimum Romanæ Ecclesiæ Pon-
 tificem denunciari iussit. His peractis Le-
 gatum permovere conatus est, ad de-
 ponendum ab Episcopatu, auctoritate
 Pontificis, Anselmum, pollicitus, si id
 exsequeretur, se singulis annis ingentem
 auri vim Romam missurum esse. At Le-
 gato istud fieri posse negante, pœniten-
 tia subiit Regem, satis jam intelligen-
 tem, quod agnoscendo Urbanum nihil
 in rem suam egisset. Igitur quia factum
 retractari non poterat, ut saltem famam
 conservaret, simulavit se in gratiam re-
 dire cum Archiepiscopo, cui nocendi po-
 testas deerat.

Tum Guilielmus Rex Festo Penteco-
 stes, illo anno millesimo nonagesimo
 quinto, decima tertia Maji, Owindforiæ
 celebrato, inde Episcopos ad Anselmum
 misit; quibus urgentibus, ut Regi do-
 num offerret, saltem occasione accipien-
 di Pallii, quod ipsi profectio Romana
 non sine magnis expensis accersendum
 fuisset, vir constans respondit, injuriam
 inferre Regis famæ, qui ipsius amicitiam
 venalem esse crederent. Tandem ex
 consilio Optimatum Rex, nullo præmio
 lenitus, Anselmo ignoscere compulsus
 est, idque solum utrinque promissum,

Sæculum XI. præterita ex animis oblivione esse delenda. A. C. 1095. Quæstio deinde de Pallio moveri cœpta. Non nulli, ut Regi adularentur, Anselmum eo adducere conabantur, ut illud de manu Regis acciperet; at ille dicebat, Pallium pastorale non Principis donatione, sed singulari Sedis Apostolicæ gratia conferri. Quare statutum, ut Legatus, qui Pallium attulerat, illud Cantuariam delatum super Altare poneret, unde Anselmus acciperet.

Hæc Cæremonia in Dominica, die decima Junii, peracta. Legatus Cantuariam profectus, Ecclesiam Metropolitanam intravit, Pallium in arcula argentea, ut decebat, portans. Occurrerunt Monachi, qui huic Ecclesiæ, & illi qui in Monasterio S. Pauli ministrabant, innumera Clericorum & populi multitudine comitante, processitque Archiepiscopus nudis pedibus, sed vestibibus Sacerdotalibus ornatus, Episcopis euntem ex utroque latere sustinentibus. Mox Pallium in Altari positum accepit, omnibus circumstantibus ad osculum præbuit, eoque indutus solemniter Missam celebravit. Balduino deinde Monacho in Angliam revocato, Archiepiscopo aliquamdiu in pace vivere datum est.

III. ep. 37. Anselmus datis ad Papam literis, gratias pro Pallio sibi transmissis dixit, excusavitque, quod nondum ut debebat & mos erat

erat ad eum profectus fuisset, quamvis ^{Sæculum XI.} magno desiderio Pontifici colloquendi & ^{A. C. 1095.} consilium expetendi teneretur. Absentia suæ causas esse dicebat, bella, mandatum Regis, ætatem provecctam, & male affectam valetudinem. Ærumnas suas deinde exponens, *tædet*, aiebat, *Sancte Pater, me jam esse, quod sum, & non amplius esse, quod fui. Nam in loco inferiore positus aliis prodesse videbar, sed jam in eminenti fastigio collocatus tanto pondere obruor, nec mihi, nec aliis utilis. Cuperem onus, quod portare nequeo, abjicere, sed timor Dei, qui illud in me suscipere jussit, idem perferre compellit. Si Dei voluntatem cognoscerem, me ad illam conformarem; nunc vero de ea dubitans, angor, ingemisco, & dolori modum ponere nescio.*

§. XXVII.

Urbanus Papa in Francia.

Inter hæc Urbanus Papa Longobardiæ rebus compositis, in Franciam itinere maritimo profectus, Valentiam pervenit, ubi Ecclesiam Cathedralē dedicavit. Inde Anicium Velaunorum divertit, ubi Festo Assumptionis Dominae Nostræ celebrato, Concilium habendum Claramontii ad Octavam S. Martini indixit, & datis literis diversarum Provinciarum Episcopos invitavit. Anicio Papa ad

Bertold.

A a a 5

Casam

Sæculum XI. Casam Dei transit, tum ad oram Rhodani amnis reversus ad oppidum S. Agidii, Taraconem & Avenionem inivit.

A.C. 1095.

Bibl. C. Inn. Inde progressus est Matisconem, & Cluniacum, ubi Altare maximum Ecclesiæ pronuper conditæ consecravit, & eadem die tria alia Altaria ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, Daiberto Archiepiscopo Pisano, & Brunone Episcopo Segniacensi consecrari iussit.

p. 518.

Inter has Ceremonias Pontifex, Episcopis & Cardinalibus præsentibus, ad populum dixit in hunc modum: *Pontifices, Antecessores nostri, singulari cura hoc Monasterium ab origine sua non sine causa amarunt, & defenderunt. Dux piissimus Guilielmus Fundator nemini alii nisi post Deum S. Petro & Pontificibus ejus Successoribus hujus Monasterii Præsidium commisit. Successorum vero S. Petri numero Divina providentia me inseruit, postquam in hoc Monasterio Monachus, & deinde Prior fui sub venerabili Hugone, qui, Deo sint gratiæ & laudes, bodieque valet. Sed Antecessorum meorum nullus ante me huc venit; sed mihi singulariter a Deo collatum est hoc Beneficium, nec quidquam aliud magis ad suscipiendum in Franciam iter me incitavit.* Tum Papa Monasterio Cluniacensi immunitatem concessit, ejusque certos limites posuit, prohibens, ne intra illud loco-

Sup. l. LIV.

s. 45.

IV.

locorum spatium vis cuicumque inferretur, ne cuiusquam domus incenderetur, ne quisquam prædam agere, hominem capere, occidere, aut mutilare auderet, adjecta Excommunicationis Censura. Eodem anno, cum Placentiæ degeret, Urbanus dato Decreto omnia Privilegia olim Cluniacensibus concessa confirmaverat.

Sæculum XI.
A.C. 1095.

p. 516.

§. XXVIII.

Concilium Claromontanum.

Urbanus Papa statuto tempore Claromontium se contulit, ubi, Bertoldo teste, Archiepiscopi tredecim, Præsules vero Baculum pastorem gestantes tum Episcopi, tum Abbates ducenti quinque convenerunt. Alii ad quadringentos numerant. Inter Archiepiscopos aderant duo Itali, qui Papam proficiscentem secuti fuerant, videlicet Daibertus Pisanus, & Rangerius Rhegiensis. Tres in sua quisque provincia Legati Sacræ Sedis erant, nempe Hugo Lugdunensis, qui illo anno peregrinationem ad S. Jacobum susceperat, Amatus Burdegalensis, & Bernardus Toletanus. Alii Archiepiscopi erant Renaldus Remensis, Aubertus Bituricensis, ambo eodem anno fati functi, Rudolphus Turonensis, Richerius Senonensis, Dalmatius Narbonensis, Guido Viennensis, Berengarius Tarraconensis,

Chr. Viri.
p. 240.

Sæculum XI. A.C. 1095. sis, & Petrus Aquensis. Inter Episcopos celeberrimi primo recensendi sunt, tres illi, qui Papam iter facientem comitabantur, Joannes Portuensis, Gualterius Albanensis, qui Legatione in Anglia perfunctus redierat, & Bruno Segniacensis. Præterea Papam secuti fuerant Cardinales complures, atque inter alios Richardus Abbas S. Victoris Massiliæ, & Joannes Cajetanus Cancellarius.

Iv. ep. 88. Ceteri Episcopi plerique ex Gente Francorum erant, inter quos occurrunt Lambertus Attrebatensis, Gaucerus Cameracensis, Hugo Sueffionensis, & Hilgotus ipsius Antecessor, qui ut Salutem suam certam faceret, in Asceterio Cluniacensi monachum professus fuerat, Odo Bajocensis, Regis Angliæ patruus, Rolandus Dolensis in Britannia, qui se ut Archiepiscopum gerebat, Ivo Carnotensis & Hugo Gratianopolitanus, ambo post obitum Sanctorum numero adscripti, & Adhemarus Aniciensis. Notandum quoque, duos Episcopos ex Hispania adfuisse, Dalmatium Compostellensem, & Petrum Pampelonensem. Inter Abbates præcipui fuere, præter Richardum Cardinalem, Hugo Cluniacensis, Baldericus Burgeliensis, & Geofridus Vindocinensis.

Chro. Virg. p. 240. Durandus Episcopus Claromontanus maximo labore, quo omnia ad Papam hono-

honorifice excipiendum paraverat, fati- Sæculum XI.
 gatus, in gravem morbum incidit, eum- A. C. 1095.
 que adveniens Papa, cum ad extrema
 deductum audivisset, invisit, ac Absolu-
 tionem impertitus est. Ipsum, cum no-
 ste sequente animam Deo reddidisset,
 ejusdem Discipuli, Hugo Episcopus Gra-
 tianopolitanus, Jarenton Abbas ad S. Be-
 nignum Divione, & Pontius Abbas Casæ
 Dei sepelierunt, omnes enim in hoc Mo-
 nasterio olim sub Durando Abbate mo-
 nachi fuerant. Papa Durandi exequiis
 cum Episcopis, qui ad Concilium vena-
 rant, celebratis, defuncto Successorem
 Guilielmum Baifanum * Clericis populo-
 que consentientibus suffecit. * Baif.

§. XXIX.

Concilii Claromontani Canones.

Concilio Claromontano decima octava
 Novembris anno millesimo nonage-
 simo quinto, in Octava S. Martini ini-
 tium datum est. In eo complures Ca-
 nones conditi, quorum Summam tantum
 plerumque habemus, unde diverse a di-
 versis referuntur. Decreta omnium to. 10. Conc.
 Conciliorum, quæ Urbanus Papa Mel- p. 506.
 fax, Beneventi, Trojæ, Placentiæ cele-
 braverat, confirmantur. Prohibetur, Bertold. an.
 ne Bona Episcoporum aut Clericorum 1095.
 defunctorum diripiantur; sed juxta eo- Conc. p. 589.
 rum voluntatem vel in opera pia impen- e. 31. al. 1.
 dantur,

Sæculum XI. dantur, vel eorum Successoribus serventur. **A.C. 1095.** Episcopi Archidiaconum, qui Diaconus non est, nec Archipresbyterum vel Decanum, Ordine Presbyteratus non initiatum, non constituent. Episcopus non eligatur, nisi saltem in ordine Diaconorum steterit.

*Sirmond. ad
Gaufr. III.
ep. 12. Mar-
ca ad can. 7.
p. 578.*

Monasteria complures possidebant Ecclesias, quarum census cum Laici olim usurpassent, eos deinde, conscientia stimulos non ferente, restituerant. Ad hæc consensus Episcopi necessario requirebatur, quia a prima origine omnes Ecclesiæ Episcopi arbitrio subjectæ erant. Ceterum Episcopus consentiens monachis injungebat, ut cuilibet hujusmodi Ecclesiæ Clericum addicerent, illius ministerii capacem, eique census, ex quibus congrue sustentaretur, conferrent. Clericus Titularis Ecclesiæ dici solebat *Persona*, & non nunquam Episcopus, cum Clerico Institutionem concederet, tributum exigebat, rursusque id ipsum a monachis petebat, quotiescunque *Persona* mutabatur. Quod Jus Episcoporum vocabatur *Redemptio Altarium* (nam Ecclesia ab Altari distinguebatur) eo ferme in sensu, quo Feuda, mutato Domino, redimebantur. Jus Ecclesiæ vocabantur *Decimæ* ceterique redditus fixi, Jus vero Altaris dicebantur *Oblationes*, ceteraque incerto casu obvenire solita, quæ Laici Cleri-

Clericis Ecclesie ministrantibus destina-
 re consueverant. Concilium Claromon-
 tanum hanc *Redemptionem Altarium*,
 tanquam Simonie genus, damnavit, ser-
 vatis tamen Monasterio Altaribus, id est,
 Decimis, quibus annos triginta potieba-
 tur, salvo Episcoporum censu annuo, vi-
 delicet, Jure antiquo, quod Synodicum
 seu Cathedriticum dicebatur. Et quia
 non nulli Monachi totam auctoritatem
 in Ecclesias monasterio junctas sibi solis
 tribuebant, statuit Concilium, ut Eccle-
 sias parochiales, ad Monasterium aliquod
 pertinentes, Parocho, consentiente Ab-
 bate, Episcopus conferret; Parochus ve-
 ro de Regimine animarum Episcopo ra-
 tionem redderet, & in temporalibus Ab-
 bati subjiceretur.

Nullus Clericus duas Præbendas in
 diversis urbibus habeat, quia duos Titu-
 los habere non potest, & quilibet ordi-
 netur in illo titulo, in quo ab initio or-
 dinatus est. Id est, qui, exempli gratia,
 in aliqua Ecclesia Titularis Subdiaconus
 ordinatus fuit, in eadem & Diaconus &
 Presbyter ordinetur. Nullus in una Ec-
 clesia duas Dignitates acquirat. Nullus
 de manu Laici quæcumque Dignitatem
 Ecclesiasticam recipiat, nec ei homagium
 obligans præstet. Nullus Princeps In-
 vestituram Ecclesiasticam concedat. Lai-
 ci Capellanos non habeant, quos ad re-
 gendam

Sæculum XI.

A.C. 1095.

Can. 7. al. 3.

c. 12.

Urbanus II.
 in Concilio.

14.

15.

17.

18.

Sæculum XI. gendam eorum animam ab Episcopo non
A.C. 1095. acceperint.

16. In Sabbato Sancto jejunium ferme
usque ad noctem protrahatur. Jejunium

27. Vernale semper infra Hebdomadam pri-
mam Quadragesimæ, & æstivale infra
Hebdomadam Pentecostes, servetur.

28. Nemo communicet de Altari, nisi Cor-
pus & Sanguinem separatim sumat, ex-
cepto casu necessitatis vel cautelæ. Ni-
mirum aliqui, quemadmodum & Mona-

Marc. ad.
c. 28.

chi Cluniacenses, Græcos imitati, Fide-
libus Evcharistiam in cochleari, quod
continebat Corpus Domini Nostri pre-
tioso Sanguine suo intinctum, præbe-

Sup. lib.

LXIII. §. Ecclesiam Latinam hunc morem tan-
quam Sacramenti Evcharistiæ Institutio-
ni adversum rejecisse. Attamen hic

59.
Sup. l. LX.
§. 6.

Canon id necessitate postulante fieri
permittit. Puta, si ægroto aut infanti,
qui panem siccum deglutire non valeat,
Communio præbenda sit. Ceterum in-
de dispicimus, illa ætate morem sub utra-
que specie communicandi etiamnum vi-
guisse.

c. 1. al. 9.
Malmesb.

c. 14.

In eodem Concilio præceptum, ut
omnis conditionis homines Inducias Sa-
cras servarent, ab initio Adventus usque
ad Octavam Epiphaniæ, & a Septuagē-
sima usque ad Octavam Pentecostes, re-
liquo autem anni tempore in singulis Se-
ptima-

ptimanis quater, nempe die Jovis, Venere, Sabbato & Dominica. Monachi & Clerici eas omni tempore servarent, Ruricolæ autem & Mercatores singulis diebus per annos tres, ob annonæ penuriam, qua pleræque Galliarum provinciæ laborabant. Confugientes ad Cruces in viis publicis erectas eodem privilegio Asyli, ac si Ecclesiam intrassent, gaudebant.

6. 29. 30.

Philippus Rex Franciæ in Concilio Claromontano ob nuptias illicitas & adulterii consuetudinem cum Bertrada iterum excommunicatus; quamvis complures spectatæ Dignitatis viri summis precibus impetrare conarentur, ut ei Urbanus parceret, quamvis etiam eidem Pontifici ingentis pretii dona offerrentur, si indulgere Regi vellet, & Concilium excommunicatus in Regno suo celebrari pateretur. At Excommunicatio ista Auctoritati Regiæ nullatenus nocuit. Nul- lum enim extat vestigium, Subditos Regi excommunicato minus obedientiam præstitisse quam antea, aut cuiquam in Francia in mentem venisse, alterum Regem Philippo superstiti subrogandum esse. (*)

Bertold.

tu. ep. 211.
Guibert Ge-
sta D. II. c. 3.

§. XXX.

(*) Quod vero Philippo Rege Franciæ excommunicato non sequebatur, etiam Henrico Romanorum Imperatore excommunicato erui
Hist. Eccles. Tom. XV. B b b non

Sæculum XI.
A.C. 1095.

§. XXX.

Primatus Ecclesie Lugdunensis confirmatus.

Sup. lib.
LXII. §.
57.

Decr. Urb.
to. 10. Conc.
p. 517.

Privatarum quoque Ecclesiarum causæ in Concilio Claromontano definitæ. Primo Urbanus Papa juxta Bullam Gregorii VII. Gebuino Archiepiscopo faventem, Ecclesie Lugdunensis Primatum confirmavit, nam Hugo, Gebuini Successor, cujus, utpote Sedis Apostolicæ Legati, major erat auctoritas, in Concilio conquerebatur, quod illa Bulla, etsi causa in compluribus Conciliis provincialibus fuisset agitata, nullum effectum sortita esset. Lecta sunt concessa a Sede privilegia, quibus hic Primatus stabiliebatur, cumque Archiepiscopus Senonensis acquiescere nollet, sæpius datae sunt ei induciæ, sed tandem sexta Concilii die consumpta, quia ad causam suam defendendam nihil produxerat, ex totius Concilii sententia decisum est, Archiepiscopum Senonensem Lugdunensi tanquam Primati suo obedientem & subiectum

non debet; scilicet Reges per excommunicationis censuram Regno privari posse. Contra Protestantes autem probatur; Calumniatores esse, qui simpliciter affirmant, firmum ratumque esse inter Catholicos principium, Reges a quorumquam Mortalium per viam juris deponi posse.

Seculum XI.

A.C. 1095.

Ergo Papa Bullam edi iussit, ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem directam, in qua ipsi & Successoribus stabiliebatur Primatum in quatuor Provinciis, quæ in Privilegio Gebuino a Gregorio VII. concessio designabantur. Erant vero hæc provinciæ, Lugdunensis, Rotomagensis, Turonensis, & Senonensis. Refractariis Excommunicationis pœna denunciabatur. Cum hæc sententia pronunciaretur, aderant Archiepiscopi duodecim, nempe omnes, qui ad Concilium venerant, Senonensi excepto; tum Episcopi octoginta, & plus quam nonaginta Abbates. Hæc Bulla prima Decembris anno millesimo nonagesimo quinto data. Archiepiscopus autem Senonensis, usque adeo repugnans, hoc forsan fundamento nixus fuerit, quod ipsemet vi privilegii, Ansegiso Antecessori suo a Joanne VIII. Papa concessi, Primatem se diceret. Et præterea quod sub alterius Principis potestate degeret, sicut Archiepiscopus Lugdunensis, qui Germanorum Imperio, utpote in Regno Burgundiæ positus, subiciebatur. Quam recusandi causam Archiepiscopus Rotomagensis quoque, Regi Angliæ subjectus, afferre potuisset. Archiepiscopus Turonensis lubentius consensit, forte quia Jurisdictionem in Episcopos Britannia sibi confirmari sperabat. Quod etiam in

Can. 7. p. 5.

Con-

Concilio Claromontano obtinuit; nam *Sæculum XI.*
 id ipsum Episcopus Pictaviensis, in Con- *A.C. 1095.*
 cilio præsens, nobis testatum postea fe-
 cit, datis literis, in quibus dicit, Rudol-
 phum Archiepiscopum Turonensem cau-
 sam suam contra Archiepiscopum Do-
 lensensem exposuisse, ac Papam utriusque
 Partis momentis mature pensatis Archi-
 episcopum Dolensem damnasse & præ-
 cepisse, ut Archiepiscopo Turonensi sub-
 jiceretur, ac prioris temporis contuma-
 ciam sibi remitti deprecaretur.

Sub finem Concilii, nempe vigesima *Conc. p. 472.*
 octava Novembris anno millesimo nona- *5. Miscell. p.*
 gesimo quinto, Papam Bullam, qua Epi- *282.*
 scopatus Attrebatensis restituebatur, pu-
 blice recitari jussit, eique Sessioni Archi-
 episcopi quatuordecim, Episcopi ducen-
 ti viginti quinque, & Abbates plusquam
 octoginta interfuere. Hanc Bullam to-
 tum Concilium, in quo Lambertus, pri-
 mus Attrebatensium Episcopus, a Papa
 vocatus, federat, approbavit & confir-
 mavit. Gaucerio vero, qui se Episco-
 pum Cameracensem gerebat, omni Of-
 ficio Episcopali & Sacerdotali interdi-
 ctum, addita anathematis in ipsum & fau-
 tores ejus comminatione, si diutius hanc
 Sedem occupare præsumeret, quam da-
 to pretio coemisset, atque Baculum an- *Narrat Tor-*
 nulumque de manu Imperatoris Henrici *nac. to. 12.*
 accepisset. Contra Concilium, electio- *Spicil. pag.*
 445.

Bbb 3 ne

Sæculum XI. ne Manassis, antea Archidiaconi Remensis, confirmata, decrevit, ut Episcopus Cameracensis consecraretur, quod Gaucerius huc usque auctoritate Imperatoris munitus prohibuerat. Nihilominus etiam post Concilium, Gaucerio ejusdem Principis potentia Sedem usurpante, Schisma Ecclesiæ Cameracensis non ante elapsos annos decem extinctum.

§. XXXI.

Petri Eremitæ Peregrinatio.

At inter omnia Concilii Claromontani Acta nullum celebratum magis, aut quod gravioris momenti effectus produxerit, quam Belli Sacri suscipiendi Decretum; cujus rei origo hæc fuit. In Francia degebat quidam Eremita; cui nomen Petrus, ex Diocesi Ambianensi, virtutibus clarus & extrema paupertate contentus. Statura corporis ei modica, facies macilenta, nullus vestium cultus. Nudis pedibus incedebat, vetusto palliolo involutus, & iter faciens asello vehebatur. Cum pietatis causa Jerosolymam profectus fuisset, totis visceribus commotus est, cernens, Loca Sacra ab Infidelibus occupari, in templi area fanum Mahometanorum stare, & Ecclesiam S. Sepulchri equorum stabulis junctam. Vir autem solertissimus sapissime hospitem suum, qui Christianus erat, per-

Hist. Bell.
Sacr. Musæ.
Ital. p. 131.

percontando, non solum præsentēs Fide-
 lium ærumnas, sed etiam totam seriem Sæculum XI.
 A C. 1095.
 malorum, quæ eorum Majores per com-
 plura sæcula perpessi fuerant, edoctus est.
 Tum satis longo tempore Jerosolymæ
 commorans, Ecclesias obeundo rerum
 statum propriis oculis exploravit.

In illa mora ad Petri notitiam perve-
 nit, Simeonem Patriarcham virum esse
 virtutibus conspicuum, & Deum timen-
 tem. Quare Præsulem invisit, atque ad-
 hibito interprete sermonem conferuit.
 Facile cognoscens Patriarcha, peregrin-
 um hominem prudentia, rerum experi-
 entia & facundia instructum esse, fami-
 liariter de miseria Christianorum collo-
 qui cœpit, tumque Petro lacrymas non
 tenenti & quærenti an tot malis nullum
 superesset remedium, *peccata nostra*, in-
 quit, *obsistunt, ne Deus preces nostras*
exaudiat, necdum pro meritis nostris pæ-
nas dedimus. Sed non inanem spem re-
demptionis concipere liceret, si populus
tuus, qui Deo sincero corde servit, & cu-
jus vires integræ, hostibusque nostris for-
midandæ sunt, ad præstandum nobis auxi-
lium veniret, aut saltem pro nobis Jesum
Christum oraret. Nam nihil opis nobis
est in Græcis, licet & locorum situ &
sanguinis cognatione magis propinquus, at-
que etiam majoribus divitiis abundantibus.
Vix hostem a propriis aris focis-

Sæculum XI. *cis que satis arcere possunt; nec dubito,*
A.C. 1095. *quin fama ad vos pertulerit, eos intra*
paucos annos plus quam mediam Imperii
sui partem amisisse.

Respondit Petrus: *Scias vero, S. Pa-*
ter, quod si Ecclesia Romana, Occidentis
Principes a viro rerum istarum gnaro &
fide digno edocerentur, quanta Religionis
causa pati cogamini, opem ferre, quam
celerrime possent, conarentur. Scribe
ergo Papæ & Principibus Christianis epi-
stolas prolixas, annulo tuo signatas; quas
ego deferam, & ubique, Deo adjuvante,
Christi Cultores ad vobis succurrendum
solicitabo. Hæc voluntas hospitis Pa-
triarchæ Christianisque præsentibus sum-
mopere probabatur, cui gratias dicentes
maximas, literas, quas petebat, deferen-
das tradiderunt. Haud multo post Petro
Eremitæ in Ecclesia S. Sepulchri pro fe-
lici itineris sui successu ad Deum preces
fundenti, cum in somnum lapsus fuisset,
JESUS CHRISTUS conspicuus factus dice-
bat: Surge Petre, nihil time, mandata
quæ suscepisti, perfice, quoniam ego tecum
sum. Tempus advenit, quo Loca Sancta
emumentur, & Servis meis auxilium fe-
ram.

Ille hoc somnio accensus, postquam
 Patriarchæ valedixit; navem conscen-
 dit, Barium in Apulia appellit, Romam
 venit, litteras Patriarchæ & Christiano-
 rum

rum Jerofolymitanorum Summo Pontifici reddidit, & commissum sibi negotium bona fide peragit. Papa redeuntem perbenigne excepit, addito promisso: *Quam primum occasio favebit, ad hanc rem perficiendam nulli labori parcemus.* Interea Petrus, urgente zelo, tota Italia peragrata, Alpes etiam superavit, & ad singulos Occidentis Principes divertens summis precibus petiit, ut Christianis in Oriente existentibus succurrerent, & Loca Sancta liberarent. Non nullis etiam, quod exoptabat, persuasit. Nec eo contentus quod Principes ad facinus pulcherrimum exhortaretur, populos quoque ad piissimam profectioem impellebat, tanta dicendi vi, ut ferme semper fructus quaesitus sequeretur. Hinc Papæ ultra alpes migraturi Præcursor fuit, animosque populorum ad recipiendum hortatum Urbani paravit.

§. XXXII.

Sermo Pontificis de suscipiendo bello Sacro.

Urbanus Papa, rebus aliis ad Ecclesias spectantibus ita perfectis, in Concilio Claromontano Sermonem habuit, cujus Summa hæc est. *Novissis, dilectissimi Fratres, quod humani generis Reparator terram Patribus pridem promissam propria illustraverit presentia, eam Hereditatem*

c. 15.

Bbb 5

tatem

Sæculum XI.
A.C. 1095. *tatem suam appellare dignatus sit, & præ ceteris orbis partibus dilexerit. Quamvis vero eandem ob incolarum peccata ad tempus in manus Infidelium tradiderit, non tamen, ut arbitramur, penitus abjecit. Porro terram hanc Sanctam a multis retro annis Saracenorum gens impia dura Tyrannide premit. Fideles in servitutem subacti gemunt, tributis & vectigalibus obruuntur, filii eorum abstrahuntur, ad ejurandam fidem compelluntur, recusantes jugulantur. Templum Domini factum est Sedes Diaboli, Ecclesia S. Sepulchri Mahometanorum spurcitiis polluitur, alia Loca Sacra in stabula & sentinas migrarunt. Non major Musulmanis hominum quam locorum Reverentia est, Presbyteri, Diaconi in Sanctuario trucidantur, ibidem Matronæ Virginesque violantur.*

Vos igitur dilectissimi filii, armamini zelo Dei, subvenite Fratribus vestris, & Dominus erit vobiscum. Arma, quæ cæde mutua truculenter cruentastis, in hostes Fidei & Nominis Christiani convertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cetera, qualia qui agunt Regnum Dei non possidebunt, hoc bello redimite, & veniam impetrare satagite. () Monemus*

(*) Sancta fuit, ut ex his argumentis probatur, Summi Pontificis intentio.

nemus igitur & exhortamur in Domino, Sæculum XI.
A.C. 1095.
ac in remissionem peccatorum vestrorum
injungimus, ut erga Fratres nostros Jero-
solyma & in finibus degentes commiseratione moveri vos sinatis, & compescatis temeritatem Infidelium, quibus Principatus & Imperia sibi subdicere, & nomen Christianorum delere, propositum est. Si cessatis, plane timendum, ne in illis Regionibus fides omnino pereat. Non nulli, quibus hæc loquimur, ingentia mala suis oculis conspexerunt, & eadem Petri venerabilis viri, qui præsens est, ad nos delata docet epistola.

Nos vero Misericordia Dei & Beati Petri auctoritate confisi Fidelibus Christianis, qui contra Infideles arma susceperint, immensam pro suis delictis penitentiam relaxamus. Qui autem ibi in vera penitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis se habituros non dubitent. (*) Interim
eos,

(*) Ex his verbis Urbani Papæ: qui in vera penitentia decesserint, Act. Concil. Tom. VI. P. II. Edit. Paris. confunditur protervia Interpretis Lutherani in Præf. ad Fleurii versionem Germanicam mentientis; man habe in der Römischen Kirche die Herzensbuß in etwas anders verändert. Nam patet, Urbanum Papam, præsumpta cordis conversione, solummodo penitentias Canonicas, juxta veterem Ecclesiæ Disciplinam injungi solitas, Cruciatu remisisse.

Sæculum XI. eos, qui ad expugnandos Paganos laborem
 A.C. 1095. istum assumpserint, Ecclesiæ Patrocinio
 & Beatorum Petri & Pauli præsidio
 fruantur, ita ut tam ipsi quam res eorum
 in tuto sint. Si quisquam Sacri belli mi-
 lites laceffere ausu temerario præsumpse-
 rit, ab Episcopo loci excommunicatione
 feriatur, donec ablata reddantur. Epi-
 scopi & Presbyteri, qui se raptoribus vi-
 gore Sacerdotali non opposuerint, ab offi-
 cio suspendantur, donec misericordiam Se-
 dis Apostolicæ obtineant.

Hunc Sermonem memoravi, prout
 eum Guilielmus Tyriensis, Auctor gravis
 & iudicio præditus refert. Eundem alii
 aliis verbis referunt, sive quisque Papam
 hæc loquentem, quæ sibi maxime verifi-
 milia videbantur, induxerit, sive Ponti-
 fex in eodem Concilio de re tanta sæ-
 pius peroraverit. Remigius, monachus
 ad S. Remigium Remis, in eo Concilio
 præsens, refert, omnes præsentibus isto
 Pontificis Sermone adeo fuisse commo-
 tos, ut uno ore exclamaverint: *Hoc
 Deus vult! manifesta hæc Dei voluntas
 est.* Tumque Papam, levatis ad cælum
 oculis, manu silentium imperantem, se-
 quentia adjecisse: *Fratres mei! videtis
 hodie illud Verbum Domini impletum es-
 se, illis promissum, qui in nomine ejus con-
 gregati fuerint. Nunquam enim, nisi
 inspirante Deo, uno ore omnes eandem*

Bellum
 Sacrum.

lib. I. p. 32.

Matth. 18.
 20.

rem proclamassetis. Id ipsum ergo: Hoc ^{Sæculum XI.} Deus vult! vobis militaris tessera sit. A. C. 1095.

Ceterum nolumus, senes aut debiles, & armis gerendis impares, hoc iter suscipere, vel mulieres, nisi eas mariti, fratres sui, aliive propinqui custodiant. In his enim personis plus oneris quam auxilii militantibus est. Divites pauperibus opitulentur, & quot poterunt milites suis sumptibus alant. Presbyteri & Clerici sine licentia Episcoporum suorum non abeant, & Laiici peregrinaturi Benedictionem ab Episcopis suis petant. Quicumque autem hanc peregrinationem suscipiunt, figuram Crucis in corpore suo portent.

His dictis, & omnibus presentibus in terram prostratis, Gregorius Cardinalis, qui deinde Innocentius II. Papa fuit, Confessionem recitavit, cunctique, percutientes pectora sua, Absolutionem a peccatis suis, tum Benedictionem & licentiam domum redeundi acceperunt. Altera die Papa convocatis Episcopis deliberare cœpit, quis Dux peregrinantibus dandus esset, quia inter illos, qui condixerant, nemo tam eximie auctoritatis reperiebatur, visumque est omnibus, Adhemarum, Episcopum Aniciensem, virum in causis Religionis æque ac in negotiis Sæcularibus versatissimum, tanto operi præficiendum esse, qui, licet invitus, commissam sibi provinciam suscepit,

Sæculum XI. A.C. 1095. Orderic. l. 9. p. 721. scepit, eique Pontifex Legati Sacrae Sedis potestatem contulit. Haud diu postea adsunt Legati Raimundi Comitis Tolosani, qui etiam Comes S. Ægydii, & Provinciæ vocabatur, ad Papam deferentes, quod Comes Crucem suscepisset, & cum multis equitibus hoc iter facturus esset. Itaque Sacra Expeditio duos Duces, virum Ecclesiasticum, & alterum Sæcularem, nacta est.

p. 720.

Ut autem Papa Sacris commilitonibus animos adderet, iterum promulgavit; omnes, qui Crucem suscepissent, si Pœnitentes essent, jam tunc ab omnibus peccatis suis absolverentur, iisque jejunia & alia pœnitentiæ opera, ad quæ implenda obligati fuissent, relaxarentur; his enim operibus pericula & labores, quos Peregrinantes subituri essent, subrogari. (*) At constituit, ut omnes, qui Sacrae militiæ nomen dedissent, votum suum sub pœna excommunicationis implere tenerentur. Tandem omnes Episcopos, quemque in sua Diœcesi, Fideles hortari ad suscipiendam Crucem iussit. Illud

(*) *Si pœnitentes essent*, id est, si Pœnitentiam, a Presbytero sibi ob peccata in Confessione exposita injunctam, necdum totam implevissent. Unde eruitur, Absolutionem a peccatis post longum sæpe pœnitentiæ tempus demum fuisse collatam.

Illud quoque ferunt, Papam, ut copiosius auxilium a Cœlo Sacris militibus impetraret, in Concilio Claromontano Clericis præcepisse, ut Parvum Officium Beatæ Virginis recitarent, quam consuetudinem jam prius S. Petrus Damiani inter Monachos introduxerat.

Sæculum XI.

A C. 1095.

Chr. Gaufr.

Vos. to. 2.

Bibl. Lab.

p. 292.

Sup. l. LX.

S. 53.

§. XXXIII.

Papa complures Ecclesias consecrat.

Soluto Concilio Claromontano Papa, ad oppidum S. Flori, Prioratum Monasterio Cluniacensi subjectum, se contulit, Ecclesiam dedicavit, ibique diutius commoratus est; nam in illo monasterio Joannes Episcopus Portuensis, itinerum socius, ægrotavit, & mortuus est, mense Decembri ineunte. Inde Papa divertit Auriliacum, tum ad Monasterium Uficense, unde Bernardus Archiepiscopus Toletanus quemdam monachum, nomine Mauritium Burdinum, quem egregiis dotibus ornatum videbat, evocavit & itineris socium allegit. Hic Burdinus postea, plusquam debebat, fama notus evasit. * Papa vero vigesima tertia Decembris Lemovicum pervenit, ubi Festum Natalis Domini anno millesimo nonagesimo quinto celebravit. Sacrificium nocturnum obtulit in Ecclesia Monialium Dominæ Nostræ de Regula dictarum, alterum matutinum in Ecclesia S. Martialis,

* futurus Antipapa.

Gaufr. Vos.

Chr. c. 27. to.

2. Bibl. Lab.

p. 293.

Sæculum XI. A.C. 1095. lis, & postquam dixisset ad populum, ad Ecclesiam S. Stephani, seu Cathedralem, reversus est, gestans coronam Pontificiam, ibique Officium reliquum peregit. Die Festum Innocentium sequente Ecclesiam Cathedralem dedicavit, postera die, quæ erat Dôminica, quievit, & Feria secunda, ultima die Decembris, Ecclesiam Monasterii S. Martialis pronuper reparatam consecravit. Hunc Ritum peragenti aderant Archiepiscopi quinque, Hugo Lugdunensis, Aubertus Bituricensis, Amatus Burdegalensis, Daibertus Pisanus, Rangerius Rhegiensis, & Episcopi sex, Bruno Segniacensis, Petrus Pictaviensis, Arnulphus Xantonensis, Rainaldus Petrocoriensis, Raimundus Ruteneus, & Humbaldus Lemovicensis, qui, Ecclesiam circumeuntes, aquam a Pontifice Benedictam aspergebant; sed Papa suis manibus Altare Majus S. Salvatori Sacrum dedicavit.

ibid. c. 28. Humbaldus Episcopus Lemovicensis apud Papam adhuc ad S. Martialem comorantem accusatus, convictusque, quod Epistolas Pontificias adulterasset, publice deponitur. Ipse ad S. Severum in Territorio Bituricensi, & Ditione Germanorum suorum se recepit, ubi diu ut simplex Laicus vitam traxit. Deposito Guilielmus, ad S. Martialem Prior, in Episcopatu susceptus est.

Urba-

Urbanus Papa Festo S. Hilarii decima Sæculum XI.
 tertia Januarii anno millesimo nonagesi- A.C. 1096.
 mo sexto Pictavii celebrato, & vigesima
 septima ejusdem mensis Ecclesia *Monas-*
terii Novi consecrata, Andegavum pe- Chron. Mal-
 tiit, ubi decima Februarii Ecclesiam Mo- leac. p. 213.
 nasterii S. Nicolai dedicavit. In illo iti-
 nere Papa, ubique dicens ex Cathedra,
 Fideles ad suscipiendum bellum Sacrum Chron. An-
 exhortabatur, atque Cruciatorum pro deg. p. 281.
 fectioni diem, Festum Assumptionis Do- tom. 1. Bibl.
 minæ Nostræ eodem anno, præstituit. Lab.
 Andegavi Papæ literæ redduntur, qui-
 bus obitus Renaldi Archiepiscopi Remen-
 sis, vigesima prima Januarii defuncti,
 nunciabatur. Tum confirmavit Electio-
 nem Manassis, ejusdem Ecclesiæ Præpo-
 siti, quem ipsi Ivo Carnotensis, tanquam
 virum Sede Archiepiscopali dignum,
 commendaverat. In Epistola illa ad Pa-
 pam data dicit, in Ecclesia Remensi Re-
 gni Coronam custodiri. Iv. ep. 48.

§. XXXIV.

Roberti Arbrifellensis Initia.

Undecima Februarii Papa adhuc dum
 Andegavi commorans, confirmavit
 Foundationem Abbatix S. Mariæ de Rota Baluz. 2.
 prope Cratumnum, pro Canonicis Regu- Miscell. p.
 laribus, cujus primus Abbas, vir celebra- 214.
 tissimus, Robertus de Arbrifello fuit,
 quod cognomentum ei datum est de loco
Hist. Eccles. Tom. XV. C c c na

Sæculum XI. nativitatis suæ, parvo oppido, in Britan-
 A.C. 1096. nia septem leucis ab urbe Rhedonensi po-
vit. ap. Boll. sito. Cum illa ætate paucos in hac pro-
 25. Febr. vincia viros literatos invenire esset, &
 to. 5. p. 393. Robertus sciendi cupiditate flagraret,
 Parisios illo tempore, quo Gregorius VII.
 Papa Romæ sedebat, petiit; unde tam
 in literis, quam in pietate mirum in mo-
 dum proficientem Silvester de Guerchia-
 co, Episcopus Rhedonensis, vir magis
 nobilitate generis quam eruditione in-
 signis, revocavit, ejus opera in Regimi-
 ne Ecclesiæ suæ usus. Itaque Rober-
 tus a Silvestro Archipresbyter creatus,
 annis quatuor cum eo fuit, dissidentes
 reconcilians, oppugnans vitia, præsertim
 Simoniam, Clericorum Laicorumque ve-
 tita connubia, & defendens Ecclesias,
 quas Laici oppressas in servitutem redi-
 gebant. Verum, elapsis annis quatuor,
 Episcopo fatis functo, Robertus Clerico-
 rum invidiæ odioque expositus, Ande-
 gavum rediit, ubi studiis literarum va-
 cans ad Sanctum Mauritium, nempe in
 Ecclesia Cathedrali, Scholasticus electus
 est. Ceterum multum orabat, jejuna-
 bat, & vigilabat, thorace hamato ad car-
 nem indutus.

Postquam annos duos hoc vitæ ge-
 nus duxisset, cum quodam Presbytero
 in Silvam Cratumnensem secedens pœ-
 nitentiæ rigorem, jam satis magnum, au-
 xit,

xit. Magna hominum multitudine ad eum confluente, permultos convertit, instituitque Congregationem Canonico-regularium, Abbatiam de Rota dictam. Cum fama Roberti Eremitæ ad aures Urbani Papæ, Andegavi versantis, pervenisset, cupido subiit viro colloquendi. Eum deinde in Dedicatione Ecclesiæ S. Nicolai, quo maxima convenerat hominum frequentia, e Cathedra dicere iussit, atque ejus dicendi vi captus, præcepit, ut talentum sibi a Cœlo datum excoleret, & per varias provincias migrans concionaretur. Paruit Robertus, etsi invitus, & in vicinis Diocœsibus prædicare non exiguo audientium emolumento cœpit, ab omnibus honorifice habitus. Quia vero Monasterium Rotense tot homines, quot desiderabant, sub ipsius Disciplina vivere, non capiebat, præcipiente Papa, & suadente Episcopo Andegavensi, Geofrido Meduanensi, Canonicis suis inter mutuas lacrymas valedixit, delectisque aliquot sociis, itinerari se dedit, Verbi Divini semen undique sparsurus.

§. XXXV.

Concilium Rotomagensis.

Eodem mense Februario, anno millesimo nonagesimo sexto, Guilielmus Archiepiscopus Rotomagensis Suffraganeus

C c c 2

8995

Sæculum XI.
A.C. 1096.

Sæculum XI. neos suos ad Synodum convocavit. Nam
 A.C. 1096. postquam Odo Bajocensis, Giselbertus
 Ebroicensis & Serlo Sagienfis, ut dixi-
 mus, Concilio Claromontano cum Lega-
 tis, ceterorum Normanniæ Episcoporum
 literas se excusantium deferentibus, in-
 terfuissent, & suis Episcopis Literas Sy-
 nodales reddidissent, in Concilio Roto-
 magensi Constitutiones Concilii Claro-
 montani perspectæ sunt, Pontificis De-
 creta confirmata, atque octo Canones
 conditi, qui in primis ad Treugam Sacram
 & libertatem Ecclesiæ spectant. Treu-
 ga Sacra seu induciæ perpetuo serven-
 tur circa Ecclesias, & earum vestibula,
 circa monachos, Clericos, Sanctimonia-
 les feminas, omnes cujuscunque condi-
 tionis mulieres, Peregrinantes, merca-
 tores, eorumque familiares, viros & ju-
 menta ad excolendas terras Ecclesiæ &
 Clericorum adhibita. Formula Treugæ
 servandæ omnibus, qui ad annos ætatis
 duodecim pervenissent, recitanda præ-
 scribitur, & anathema omnibus eam non
 servaturis dicitur. Ita Episcopis curæ
 erat sensim tranquillitatem Reipublicæ
 reducere.

6. 2. Nullus Presbyter homagium præstet
 Laico, & in ejus manibus juret; quia in-
 dignum est, quod manus consecratæ in
 manus hominis, vel homicidæ, vel adul-
 teri mittantur. Viri comam non nu-
 triant.

to. 10. Conc.
 p. 599.
 ex Orderic.
 l. IX. p. 721.

triant. Hæc disciplina illi consentit, Sæculum XI.
A.C. 1096.
quam eadem ætate tenebat S. Anselmus; c. 6.
is quippe adolescentes compellebat, ut Eadmer. I.
Novor. p. 39.
sibi prolixam cæsariem resecari paterentur, ob infanda flagitia, quibus aula Anglica contaminabatur. Hos itaque Canones publice promulgarunt Giselbertus, Episcopus Ebroicensis, qui ob corporis proceritatem Grus cognominabatur, & Fulbertus Archidiaconus Rotomagensis, eosque Guilielmus Archiepiscopus ac ceteri Episcopi, Odo Bajocensis, Giselbertus Lexoviensis, Turgisus Abrincensis, Serlo Sagiensis, & Rudolphus Constantinensis, approbarunt, Abbatibus totius Provinciae cum Clericis & multis Optimatibus præsentibus. Annotari meretur, quod in omnibus his, quæ de hoc Concilio ad nos usque pervenerunt, nulla omnino Primatus Ecclesiæ Lugdunensis mentio occurrat.

§. XXXVI.

Concilium Turonense &c.

Mense Martio ineunte, anno millesimo nonagesimo sexto, Papa Turonem pervenit, atque in Monasterio Martyrum diversatus est. Die Dominica, illius mensis nona, in ripa Ligeris amnis, Fulcone Comite Andegavensi, compluribus Proceribus & innumero populo præsentibus Orationem habuit. Altera die Ecclesiam

C c c 3

clesiam

Sæculum XI. clesiam Monasterii Martyrum consecravit.
A C. 1096. Sæpe adibat Ecclesiam S. Martini, cujus

Sup. lib.
XXXIX.

S. 55.

to. 10. Conc.
p. 601.

se solum Episcopum declaravit; nam il-
lius Ecclesiæ Clerici jam diu se se a Juris-
dictione Archiepiscopi Turonensis exem-
ptos esse affirmabant. Sequenti Septi-
mana, Quadragesimæ tertia, Papa in Ec-
clesia S. Martini Concilium celebravit,
in quo Decreta Concilii Claromontani
confirmavit. In eo non nulli Episcopi
Franciæ absolutionem a Censura excom-
municationis Philippo Regi impetrare
adlaborabant, sed aliis obstantibus, no-
luit Papa Regem solvere. Dominica
quarta Quadragesimæ, cunctis inter so-
lemnes preces procedentibus Concilio
finis impositus est, Papa coronam ex pal-
ma, Romano more, gestante. Tunc et-
iam Comiti Andegavensi Rosam auream,
quam Pontifices illa Dominica benedicere
solebant, obtulit. Quibus peractis
alterum Concilium, Arelate sub finem
mensis Julii celebrandum indixit.

Sub finem mensis Martii Urbanus
Papa Pictavium rediit, unde ad civita-
tem Xantonensem digressus Festum Pa-
schæ, quod anno millesimo nonagesimo
sexto in diem decimam tertiam Aprilis
Ordo Rom. incidebat, celebravit. Inde divertit
Burdegalam, ubi prima die Maji Magnam
Ecclesiam dedicavit, rursusque Tolosam,
ubi vigesima quarta ejusdem mensis Ec-
clesiam

clesiam S. Sernini consecravit. In illo Sæculum XI.
 itinere Isarnus Episcopus Ecclesiæ Tolo- A.C. 1096.
 sanæ præerat, & Papam Bernardus Ar- Cotel. mem.
 chiepiscopus Toletanus comitabatur. lib. 5. p. 376.
 Sub finem Junii Papa Magalonam a Go- Arn. Verd.
 defrido Episcopo rogatus venit; tum to. I. Bibl.
 die Dominica in Festo S. Petri, postquam Lab. p. 799.
 Clericis populoque præsentate pro Con-
 cione dixisset, solemniter ritum totam Insu-
 lam Magalonam consecravit, absolutio-
 nem omnium peccatorum suorum omni-
 bus ibi sepultis, & deinceps sepeliendis
 impertitus est, & huic Ecclesiæ plura
 alia privilegia concessit. (*) Cum hos
 ritus perageret, Pontifici aderant Archi-
 episcopi Pisanus, Tarraconensis, Episco-
 pi autem Albanensis, Segniacensis, Ne-
 mausensis & Magalonensis.

Cum Papa in urbe Montispeffulanen-
 si versaretur, rogatus a Philippo Rege,
 Guilielmi Electionem ad Episcopatum
 Parisiensem examini subiecit. Erat Gui-
 lielmus Bertradæ, quam sibi Philippus
 Rex, ut retulimus, illicito connubio jun-
 xerat, frater, & Episcopatu suscipiendo
 per ætatem impar; unde merito suspe-
 cta esse poterat Electio. Nihilominus,
 Guilielmo electo, illico Ivo Carnotensis
 C c c 4 datis

(*) Hæc non de Absolutione Sacramentali &
 strictè dicta, sed de precibus & suffragiis intelli-
 genda sunt.

Sæculum XI. datis ad Papam literis testatus est, Guilielmum maximæ spei Clericum esse, & in Ecclesia Carnotensi enutritum, adiciens: *Nibil in hoc negotio, nisi prius expetito consilio nostro egit. Quare non nullos ex fratribus nostris cum eo misimus, qui solícite explorarent, an unanimi omnium consensu esset electus, an pecunia data fuisset, vel Regis auctoritate extorta esset electio. Postquam vero ad nos retulerunt, omnia secundum Canones acta fuisse, Fratri nostro suavisimus, ut oblatum munus reciperet & Dei Ordinationi non resisteret; timebamus enim, ne ipso Dignitatem recusante, alius dato pretio per Simoniam in illam Sedem irreperet. Quod spectat ad defectum ætatis, suavisimus, ut interstitia congrua in susceptione Ordinum servaret, & interim in iis, quæ Canones prohibent, dispensationem tuam peteret. Rogamus te, ne susurronibus, qui ei nocere cupiunt, aures præbeas, sed tu ipse mandata tua ad nos mittas, quibus hoc negotium ad finem feliciter perducere præscribas. Istud Testimonium Ivonis Carnotensis eo magis sincerum erat, quò apertius Waldradæ causæ adversatus fuerat.*

Iv. ep. 50.

Itaque Papa Montispeffuli degens, omnibus Electionis adjunctis pensatis, Ivoni Carnotensi, tunc apud ipsum versanti, curam commisit eandem amplius discuti;

discutiendi. Tunc Ivo, ad sua reversus, Sæculum XI. A. C. 1096.
 Canonicos Parisienses nempe Decanum, Cantorem, & Archidiaconum ad se vocavit, qui omnium nomine juramento affirmarunt, Guilielmum nec metu Regis aut pellicis, quam Reginam haberi vellet, electum fuisse, nec electionem Simonix labe fuisse corruptam. Quare Riberio Archiepiscopo Senonensi, auctoritate Papæ sibi commissa, præcepit, ut Guilielmum ante Festum S. Remigii consecraret, addita licentia in illo solum Ritu Pallio utendi, cujus usus ipsi interdictus fuerat, quod Decreto, Primatum Ecclesiæ Lugdunensis statuente, se subijcere nolisset. Cuncti his mandatis obsecuti sunt, sicque Guilielmus præstituto tempore Episcopus Parisiensis consecratus. Id. ep. 54.

§. XXXVII.

Concilium Nemausense.

Papa Nemausi sub Initium Julii Concilium, quod prius Arelate indixerat, celebravit, præsentibus quatuor Cardinalibus, Gualterio Episcopo Albanensi, Gregorio Papiensi, Joanne Diacono, & Alberto Presbytero. Episcopi adfuisse leguntur, Daibertus Archiepiscopus Pisanus, Hugo Lugdunensis, Amatus Burdegalensis, Bernardus Toletanus, Hugo Vesuntinus, Bruno Episcopus Segniacensis, to. 10. Conc. p. 605. Spicil. to. 4. p. 234.

Ccc 5 sis,

Sæcul m XI. sis, & Bertrandus Nemaufinus. In hoc
 A.C. 1096. Concilio sexdecim Canones conditi, ple-
 rique a statutis Claromontanis non di-
 versi; quos deinde Papa in omnibus se-
 quentibus Conciliis confirmavit & pro-
 mulgavit. Hos inter haud ullus magis
 notatu dignus est, quam Decretum, quod
 Monachis pristinum jus Officiis-Sacerdo-
 talibus fungendi asserit. Est autem de
 verbo ad verbum omnino idem, ac illud
 quod S. Petrus Damiani Bonifacio IV.
 Papæ tribuit, in tractatu ad defenden-
 dam hanc monachorum prærogativam
 composito. Porro istud Decretum fa-
 vens monachis ad Concilium Romanum
 anni sexcentissimi decimi refertur; sed
 stylus potius Urbani II. Papæ ætatem
 prodit. Summa vero hæc est.

tom. 5. Conc.
 p. 1618.
 Sup. lib.
 XXXVII.
 §.4. P. Dam.
 Opusc.
 XXVIII.

Can. 2. *Sunt non nulli, stulta ignorantia la-
 borantes, & magis zelo amaritudinis
 quam dilectionis incensi, qui asserunt;
 Monachos Sacerdotali officio esse indi-
 gnos, eosque nec penitentiam injungere,
 nec Baptismum conferre, aut Absolutio-
 nem largiri posse. Sed falluntur. Quo
 pacto enim, si indigni essent monachi, S.
 Gregorius Sacram Sedem conscendisset?
 Quomodo ejus Discipulus S. Augustinus,
 Anglorum Apostolus, S. Martinus, &
 tot alii Viri Sancti ex ordine monacho-
 rum ad Episcopatus apicem proveci fuis-
 sent? nec S. Benedictus monachos Sacer-
 dotio*

dotio initiari vetuit, sed eos negotiorum *Sæculum XI.*
Sacularium expertes esse debere dixit. A. C. 1096.
 Quod non solum monachis, sed etiam Ca-
 nonicis summopere præcipitur, cum tam
 isti quam illi mundo mortui sint. Et Mo-
 nachis & Canonici Angeli vocantur, quia
 Dei præcepta annunciant. Sed Monachi
 ut *CHERUBIM* sex alis velantur, quas
 eorum habitus refert, duas in Capuzio,
 duas in brachiis, duas, quibus corpus tegi-
 tur. (*) Igitur decertantes contra Mo-
 nachos auctoritate Sacerdotali reprimi
 jubemus. Viros, qui amore vitæ Aposto-
 lica mundum reliquerunt, majorem a pec-
 catis solvendi potestatem quam Presbyte-
 ros *Saculares* habere oportet, & dignio-
 res sunt, qui prædicent, qui baptizent,
 Communionem dent, & penitentiam im-
 ponant. (**)

c. 3.

Illi,

(*) In Editione Gallica lego: mais les moi-
 nes ressemblent aux Sarasins. Forte loco: Se-
 raphins. At in ipsis Actis Conc. legitur: Nun-
 quid non ut Cherubim monachi sex alis velan-
 tur? quamvis nullibi, quod sciam, Cherubinibus
 sex alæ tribuantur.

(**) His addit Summus Pontifex: Quia hi se-
 cundum Regulam Apostolicam vivunt, & eorum
 sequentes vestigia communem vitam ducunt. Et
 infra: Unde censemus, eos qui Apostolorum fi-
 guram tenent.

Sæculum XI.

A.C. 1096.

Illi, quos istud Decretum ad hominum ignorantium tribum ablegat, respondere potuissent; Veteres, cum institutum monachorum ab instituto Clericorum distinguerent, non negasse, sæpe inter Monachos non Clericali Ordine modo, sed etiam Episcopatu dignos inventos fuisse, sed eos tunc institutum mutavisse, & relicta sua solitudine ad ceterorum Fidelium commercium pro utilitate Ecclesiæ rediisse, & nihilominus Sanctas vitæ monasticæ consuetudines, quantum in Episcopali fastigio positos decebat, servasse. Illud vero novum & antiquæ Disciplinæ contrarium apparebat, quod Monachi, in suo Monasterio degentes, omnia officia Ecclesiastica etiam Sæcularibus libere administrarent. (*) In eodem Concilio Rex Philippus, cum Papæ satisfecisset, & Bertradam

Chron. Mal-
eat. p. 213.
Bortold. an.
1096.

(*) Negari non potest primævum Monachorum institutum fuisse curare animas suas non alienas. Et hocce argumentum Confratrem olim nostrum Gregorium Neuner permovit, ut anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo ad Monasterium Trapanese Boni Salatii in Tuscia transferit, ubi, ad Abbatialem Dignitatem promotus, post pauculos annos in Domino obdormivit. Verum, cum singulare propriæ perfectionis studium hominem ad procurandam etiam aliorum salutem aptissimum reddat, mi-

tradam dimittere promississet, ab Excommunicationis censura absolutus est.

Sæculum XI.
A. C. 1096.

§. XXXVIII.

Reliquiæ S. Antonii in Francia.

Pontifex, Nemauso in Italiam reditus, ad oppidum S. Egydii, Avenionem, & Viennam, divertit, ubi in Ecclesia quadam Reliquias S. Antonii deponi iussit. Quæ Reliquiæ in Franciam delatæ hoc modo dicuntur. Joscelinus Mottæ S. Desiderii in Territorio Viennensi Dominus, ut votum a parente suo editum exsolveret, Jerosolymam peregrinatus, in reditu Constantinopolim divertit, benigne exceptus ab Imperatore, cujus amicitiam sibi conciliavit. Ibi Joscelinus veterem Ecclesiam sæpe adibat, in qua corpus S. Antonii custodiri credebatur, etsi nemo sciret, quo pacto Alexandria Constantinopolim pervenisset; cum

Falcon. ap.
Boll. 17.
Jan. to. 2.
p. 152.

v. Baillet.
17. Jan.
n. 13.

que

rum non est, quod Monachi per complures annos in Congregatione in omni virtutum genere ac in literis exercitati, ad munera Ecclesiastica & Episcopalia, non sine magno Ecclesiæ emolumento, quin etiam id ipsum exigente non nunquam necessitate, suscipienda, vocati fuerint. Unde a Summo Pontifice non sine iusta causa acerbè illi castigantur, qui Monachos administratione Sacramentorum indignos proclamabant.

Sæculum XI.
A.C. 1096.

que videret, hanc Ecclesiam in loco pro-
pmodum deserto positam, & Clericos,
qui in ea ministrabant, cum extrema
paupertate luctantes, persuasit, ut cum
Reliquiis suis in Franciam commigrarent,
ubi eis habitandi locum commodum &
jucundum daturus esset, in quo etiam
Sacro Corpori longe major honor habe-
retur. Itaque, impetrata ab Imperato-
re licentia, S. Antonii Corpus abstulit.

In Territorium Viennense redux Jo-
scelinus, & anceps animi, quo in loco
tantus thesaurus deponendus esset, inter-
rim quocunque proficisceretur, atque
etiam cum in hostem moveret, illud de-
portabat. Ecclesiam deinde S. Antonio
Sacram in sua ditione ædificare consti-
tuit; sed positis fundamentis eam perfi-
cere non potuit, & subita morte ex hoc
mundo improlis abiit. *Guigues* Deside-
rius defuncti Propinquus in Bonis suc-
cessit, atque eadem devotione, quocun-
que ipse procederet, Arcam S. Antonii
deferri iussit, quod maximam in iis po-
suisset fiduciam. At Urbano II. Papæ,
per Territorium Viennense commeanti,
indecorum visum est, quod Sacrum cor-
pus in manibus & arbitrio virorum Lai-
corum & militum relinqueretur. Qua-
re causa mature agitata, Desiderio, addita
comminatione Excommunicationis, præ-
cepit, ne deinceps has Reliquias circum-
ferret,

ferret, sed eas, abrupta omni mora, in quo-
 dam Loco Sacro collocaret. Ergo Desi-
 derius cœptum a Joscelino Ecclesiæ ædi-
 ficium consummare decrevit, interim
 S. Antonii Corpore in illo loco, ubi Al-
 tare princeps erigendum erat, deposito,
 & Sacello tantisper levi opere constructo.
 Conduxit homines Sæculares, qui obla-
 tiones Fidelium reciperent, & quorum
 opera ad perficiendam majoris Ecclesiæ
 molem uteretur. Verum elapsis aliquot
 annis, cum Monachos ex Cænobio Mon-
 tismajoris advocasset, Prioratus Benedi-
 ctinorum in illa Ecclesia fundatus est.
 Hæc S. Antonium colendi in Territorio
 Viennensi fuere exordia.

§. XXXIX.

Sanctio Episcopus Aurelianensis.

Joanne Episcopo Aurelianensi satis fun-
 cto, Rudolphus ejus frater, Archiepi-
 scopus Turonensis, nihil intentatum re-
 liquit, ut ei Joannes ejusdem Ecclesiæ
 Archidiaconus sufficeretur; cum vero
 nihilominus major Pars Clericorum De-
 canum Sanctionem seu Samsonem elegis-
 set, Pars adversa datis ad Ivonem Car-
 notensem literis, eum accusare ausa est,
 quod ejus Electio Simonix vitio labora-
 ret, & Regiæ potestatis auctoritate ex-
 torta esset. Acceptis his literis Ivo San-
 ctioni scripsit; si objecti criminis sibi
 con-

Sæculum XI.
A.C 1096.Gall. Chron.
to. 2. p. 245.

Sæculum XI. conscius esset, discederet, & extremum
 A.C. 1096) diem in pace & quiete expectaret.

ep. 51.

Quippe ætate admodum provec̃ta erat. Sed postea rei veritatem edoctus Sanctio-
 nis Electionem defendit, atque Hugoni
 Archiepiscopo Lugdunensi tam ipse,
 quam Guilielmus Parisiensis, & Gualte-
 rius Meldensis scripserunt in hunc mo-
 dum:

ep. 54.

*Postquam Joannes Episcopus Aurelia-
 nensis e vivis ereptus fuit, Archiepiscopus
 Turonensis cum non nullis defuncti suisque
 amicis clandestina machinatione & con-
 sentiente Rege vacantem Ecclesiam con-
 ferre conatus est cuidam Archidiacono,
 Joanni, quem nec ætas, nec scientia, nec
 maturi mores, in Episcopo requisiti, com-
 mendant, sed contra erubescenda familia-
 ritas olim cum Episcopo mortuo & cum
 quibusdam ex iis, qui eum Episcopum fieri
 exoptant, debonestat. Major autem &
 sanior Clericorum pars, cupiens liberari
 a gravissimo jugo, quo vivente priore Epi-
 scopo premebatur, elegit, Rege itidem con-
 sentiente, Sanctionem ejusdem Ecclesiæ De-
 canum, virum gravem, atque, ut non igno-
 ras, ætate & moribus conspicuum. Tum
 nos quidem, Archiepiscopi Senonensis no-
 mine rogarunt, qui elegerant, ut eum
 in Arce Landonis consecrarem; sed re-
 cusavimus hanc provinciam, quia ille Ar-
 chepiscopus Lugdunensis Ecclesiæ Prima-*

tum

tum non recipit, eique ab Apostolica Sede Saculum XI.
 Sacris interdictum est. Inter hæc San- A.C. 1096.
 ctionis æmuli ejus Electioni repugnantes,
 Simoniacæ & ambitus labe infectam dixe-
 runt. Sed Carnotum, ubi, præstituta a
 nobis die, accusationem probare debuif-
 sent, non venerunt. Sanctio autem cum sex
 aliis testibus juramento se purgavit. Eum
 itaque ordinavimus, & postquam tibi pro-
 misit obedientiam, ad Ecclesiam suam mi-
 simus, quem venientem omnes amorem &
 submissionem profitentes filiali affectu com-
 plexi sunt.

Ex alia Ivonis Carnotensis Epistola ep. 53.
 discimus, quod illa die, qua Civitatem
 Aurelianensem intravit, pro more Cle-
 ricum vinculis detentum libertati resti-
 tuerit. Id ipso referente scimus; atque
 hoc neo-electi Episcopi Jus hodieque
 Aureliani salvum est.

§. XL.

Cruciatorum Profectio.

Inter hæc Peregrini, qui ad iter Jerofo-
 lymam suscipiendum condixerant, un-
 dique movebant. Horum Præcipui erant
 Hugo, cognomento Magnus, Regis Fran- Guil. tyr. I.
 ciæ frater, & jure uxorio Comes Vero- c. 17.
 manduorum, Robertus Dux Normanniæ,
 quem, noto plebi vocabulo, *Court-beuse*
 appellabant, Regis Angliæ frater, Ste-
 phanus, alias Henricus Comes Blesensis,
 Hist. Eccles. Tom. XV. D d d Car-

Sæculum XI. Carnotensis, & Trecensis, Raimundus
A.C. 1096. Comes Tolosæ, & S. Ægydii, Godefri-
 dus Dux Lotharingiæ, cum Balduino &
 Eustachio fratribus, & tandem Baldui-
 nus Burgensis eorum Consanguineus,
 Comitis Retelii filius. Proficiscentium
 castra sequebantur plurimi alii Principes,
 & viri nobiles innumeri. Comitaban-
 tur Episcopi, quibus adnumerantur, Ad-
 hemarus Aniciensis, Cruciatae Expeditio-
 nis Legatus, & Guilielmus Episcopus
 Arausicæ, permulti Presbyteri, aliique
 Clerici, permulti Abbates, & Monachi,
 quin etiam Anachoretæ e cellulis suis ex-
 citi.

e. 16.

Tantus vero peregrinandi impetus
 fuit, ut etiam plebeji, feminae quoque
 & parvuli hoc æstu abriperentur. Ad
 Cruciatorum Duces turmatim advola-
 bant, comites futuri individui, obsequia
 & obedientiam promittentes. Quisque
Orderic. l. 9. festinabat iter aggredi, ne quis alius ipso
 promptior haberetur. Optimates Ar-
 ces suas & prædia etiam vili pretio ven-
 debant, aut pignori dabant. Quisque,
 quod sibi erat carissimum, relinquebat,
 uxorem, liberos, patrem, matrem, &
 quis crederet? latrones etiam atque ho-
 minum sceleratissimi peccata sua confite-
 bantur, ea Sacra peregrinatione deletu-
 ri. Illud autem negari non potest, non
 omnes Cruciatos eodem spiritu ductos
 fuisse.

fuisse. Aliquos trahebat amor amico-
 rum, a quibus separari non sustinebant,
 alios movebat gloriæ cupido & metus
 infamiæ, ne a suis fungi crederentur,
 alios levitas animi, alios avaritia impel-
 lebat, cupientes creditorum suorum
 actionem in Judicio effugere. Monachi
 complures, veste monastica abjecta, ar-
 mis accingebantur, non paucæ mulieres,
 vestitu virilem sexum simulantes, Cru-
 ciatos milites sequebantur, ne libidi-
 nosis veneris copia deesset. Primus
 omnium profectorem Sacram auspica-
 tus est Gualterius, cognomento sans
 avoir, id est, *nihil habens*, vir nobilis &
 fortis, cujus autem cognomentum satis
 prodit, divitem non fuisse. Is viæ se de-
 dit octava Martii anno millesimo nona-
 gesimo sexto, & magnam peditum mul-
 titudinem per Germaniam, ac Hunga-
 riam ducens, Constantinopolim perve-
 nit. Hunc presso pede secutus est Pe-
 trus Eremita quadraginta ferme millium
 virorum Dux, quos ex diversis nationi-
 bus in Francia & Germania collegerat.
 Ita plura peregrinantium agmina ejus-
 dem anni æstate, a mense Martio usque
 ad Octobrem, iter ingressa sunt. Petri
 Eremitæ vestigiis inhæsit quidam Pres-
 byter Germanus nomine Godeschalcus,
 cum quindecim millibus Cruciatorum,
 qui vero, disciplinæ militaris impatien-
 tes,

Sæculum XI.
 A.C. 1096.

Bertold. an.
 1096.

Guil. I. c. 18.

Fulcher. c. 27.
 c. 27.

D d d 2 tes,

Sæculum XI. tes, suis latrocinii Hungaros usque adeo
A.C. 1096. efferarunt, ut illius regni fines necdum
 prætergressi, ab incolis ad internecionem
 deleti fuerint.

§. XLI.

Judæi trucidati.

Haud diu post iter capefferunt alia
 Cruciatorum peditum agmina (ad
 ducenta millia numero fuisse dicuntur)
 Duce & disciplina destituta; quamquam
 enim aliquot nobiles interessent, non ta-
 men gregariorum, sibi non parentium,
 effrenam licentiam sistere poterant. Ita-
 que vesano consilio in Judæos irruunt, &
 in cunctis urbibus, ad quas pervenie-
 bant, crudelem in modum trucidant in-
 cautos. Miserrima cædes Coloniae &
 Moguntiae exorta est, quodam Comite,
 nomine Emicone se socium præbente &
 Cruciatorum animos ad immane faci-
 nus accendente. Spiræ Judæi ad Regium
 Palatium confugientes se muris tuiti
 sunt, opem ferente Joanne Episcopo, qui
 deinde, Judæorum pecunia captus, non
 nullos Christianos ob cædem Judæorum
 capite plexit. (*) Wormatiæ Judæi,
 per-

Bertold.
 1096.

(*) Id Episcopo non licebat, nisi jam tunc
 (quod vero non videtur) Episcopus Spirensis
 unâ Dominatum Sæcularem in illa civitate obti-
 nuerit;

persequentibus Christianis, ad Episcopum convolarunt, qui non alia conditione se auxilium præbiturum respondit, quam si Sacro Baptismate ablui vellent. Illi moram ad deliberandum petunt, conclave Episcopi intrant, dumque Christiani foris eorum responsum expectant, suis se ipsos manibus jugulant.

Treviris, cum Judæi Cruciatos, videlicet perniciem suam, imminere conspicerent, parvulos suos comprehenderunt, & prolis innoxia ventres immerfis cultris perfoderunt, dicentes, præstare, ut sobolem ad sinum Abrahæ transmittent, quam Christianorum ludibriis exponerent. Non nullæ Judæorum mulieres ad ripam fluminis* procurrentes, saxis in sinum & manicas receptis, quocertius ad fundum deprimerentur, se se ipsas in fluctus præcipitarunt. Ceteri, vitam servaturi, cum liberis & rerum suarum pretiosissimis ad Palatium, nempe Asylum publicum, in quo etiam Egilbertus Archiepiscopus residebat, confugiunt, & Præsulem inter lacrymas rogant, ut se a morte liberaret. Ipse, occasione

Hist. Trev. to. 12. Spicil. p. 236.

* La Moselle.

D d d 3

casione

auerit: non ideo quidem, quod Christiani, Judæorum latrones, ultimo supplicio affici non possent, sed quod Episcopis in Germania, antequam Principatum consecuti fuissent, Jus gladio feriendi non fuerit.

Sæculum XI.
A.C. 1096.

caſione utendum ratus, hortari cœpit, ut ſe ad Fidem Chriſtianam converterent, adjiciens, Judæorum gentem peccatis ſuis & inprimis blaſphemiis in Jeſum Chriſtum Sanctamque ejus Matrem prolatis tanta mala ſibi accerſiſſe, & promittens, ſalvos fore, ſe tuente, ſi Baptiſmum reciperent. (*)

Tunc vero Judæorum Rabinus, nomine Micheas, Archiepiſcopum rogavit, ut ipſos Fidem Chriſti edoceret, cumque Præſul eis ſummatim Fidei Symbolum explicaffet, Micheas, Deum teſtem compellans, *credo, inquit, quæ modo expoſuiſti, jam Judæus non ſum; & quamprimum otium fuerit, diſcam, quæ necdum ſatis intelligo. Celeriter, quaſo, nos baptiza, & e manibus nos perſequentium eripe.*

Tum ceteris omnibus eandem ſibi mentem eſſe profitentibus, Archiepiſcopus Micheam baptizavit, & de ſuo nomine Egilbertum appellavit, præſentes autem Presbyteri Judæos alios Sacro fonte abluerunt. Verum, ſolo Rabino in fide

(*) Nulli certe Episcoporum hodie in Germania factum Episcopi Wormatiensis & Egilberti Trevirensis probaretur. Unde non immerito Fleurius de illorum Sæculorum ignorantia conqueritur.

fide suscepta perseverante, ceteri omnes Sæculum XI.
 anno sequente ad vomitum redierunt. A. C. 1096.

§. XLII.

Pontifex in Italia.

Inter hæc Papa Urbanus in Italiam re-
 versus, Festo Exaltationis S. Crucis
 Mortariæ prope Ticinum celebrato, cum Fulcher.
 non procul a civitate Lucensi com- Car. c. 2.
 moraretur, peregrinantium Francorum
 agmen, sub Roberro Duce Normanniæ,
 & Stephano Comite Blesensi Principibus,
 obvium habuit. Hi duo Duces, alique
 quotquot cupiebant, in conspectum Pa-
 pæ venerunt, acceptaque Benedictione
 Romam petierunt. Ecclesiam S. Petri
 ingressi, conspexerunt armatos, Guiber-
 ti Antipapæ factioni addictos, qui obla-
 tiones piorum Fidelium super Altare po-
 sitas vi adhibita rapiebant, & alios, qui
 trabibus, Ecclesiæ parietes utrinque jun-
 gentibus insistentes, saxa in pios pere-
 grinos in pavimento ad orandum pro-
 stratos conjiciebant. Nam quemcunque
 scirent Urbani Papæ partibus favere,
 eum usque ad mortem persequebantur.
 Unam tamen illius Ecclesiæ turrim Ur-
 bani Pontificis milites tenebant, quam
 integra fide tuebantur. Cruciatum tanta
 crimina horrentes, sed remedio afferen-
 do impares, Deo omnipotenti curæ fo-
 re dixerunt, læsum templi sui honorem
 D d d 4 ulcisci.

Sæculum XI. ulcisci. Ex iis complures, deficiente animo, ultra Romam non progressi ad suos redierunt. Alii Campania & Apulia peragrata Barium pervenerunt, unde persolutis ad S. Nicolai corpus precibus, statim naves se conscensuros esse sperabant; sed opportuno navigantibus tempore jam elapso, profectionem in futuram ætatem differre compulsi sunt. Dux Normanniæ hyemem in Calabria inter populares suos transegit. At nihilominus Comes Flandriæ cum agmine suo mare trajecit. Tumque multi, quos vel paupertatis timor, vel ignavia absterrebat, venditis armis, & resumpto peregrinantium scipione domum reversi sunt, quod probrosum omnibus visum est.

Anno millesimo nonagesimo sexto exeunte, Indictione quinta inchoata, Rogerius Siciliæ & Calabriae Comes, defuncto Episcopo Theodoro Græco, Ecclesiam Squillacensem restauraturus, eidem Episcopum Latinum dare constituit, omnibus Siciliæ & aliquibus Calabriae Episcopis, tum etiam Saxone, Episcopo Cassanensi, Pontificis Vicario, item S. Brunone & Landuino ejus Socio, qui in illa Dicecesi Sedem elegerant, id sibi suadentibus. Mutationis causa fuit, quod hanc Regionem permulti Normanni alique Christiani, Latini Ritus, incolerent. Ergo Rogerius Comes primum Squillacii

Ital. Sacr.
to. 9. p. 591.

cii Episcopum Latinum Joannem de Ni- Sæculum XI.
 cephero, Canonicum & Decanum Ec- A. C. 1096.
 clesiæ Miletensis in Calabria, nominavit,
 ipsius Diocesis terminos designavit, ei-
 que plenam Jurisdictionem in Græcos
 Latinosque, imprimis in Græcorum Pres-
 byteros, eorumque liberos contulit.

Redeunti Pontifici Urbano Mathil-
 dis Comitissa obviam se intulit, & quasi
 triumphantem, Romam usque deduxit,
 ubi Festum Natalis Domini cum suis Car-
 dinalibus celebravit. Guibertinis solum
 castrum S. Angeli supererat, tota prope-
 modum urbe in Pontificis potestatem re-
 ducta, opera Cruciatorum, quorum tan-
 ta multitudo advenerat, ut in castris
 versari compulsi sint, cum sub tecta re-
 cipi non possent. Rex quoque Henri- Roderic. VI.
 cus, a militibus Comitissæ Mathildis ex hist. c. 27.
 Longobardia pulsus, in Germaniam mi-
 grare coactus.

§. XLIII.

Ecclesia Hispaniæ.

In Hispania Bernardus Archiepiscopus
 Toletanus, suscepta Cruce, Ecclesiæ
 suæ cura Clericis illius Provinciæ com-
 missa, in terram Sanctam migraturus,
 viæ se dederat. Sed vix trium dierum
 iter confecerat, cum Clerici Toletani,
 arbitrati ipsum nunquam rediturum,
 alium Archiepiscopum eligunt, ejectionis

D d d 5

Ber-

Sæculum XI. Bernardi familiaribus, qui proficiscen-
A.C. 1096. tem Dominum suum strenue consecuti,
 quid ageretur, edocuerunt. Ipse cele-
 riter reversus conjuratorum principes
 eumque, quem elegerant, deponit, ad-
 vocatisque S. Fagonis monachis, qui se
 absente Ecclesiæ ministrarent, Jerosoly-
 mam cogitans Romam pervenit. At
 Urbanus Papa voto eum exsolvit, ultra
 progredi & Ecclesiam suam deserere ve-
 tuit, quæ nuper restituta Pastoris sui præ-
 sentia indigeret.

Ergo ad Ecclesiam suam rediens Ber-
 nardus Franciam peragravit, ubi viros
 eruditos piosque, & docili animo juve-
 nes, delegit, eos in Hispaniam ducturus.
 Mossiaco Giraldum evocavit, quem pri-
 mo Ecclesiæ Toletanæ Cantorem consti-
 tuit, & deinde Archiepiscopum Bracca-
 rensem ordinavit. Ex Biturigis Petrum,
 quem etiam prius Archidiaconum Tole-
 tanum, tum Episcopum Uximanum crea-
 vit. Ex civitate Aginnensi viros qua-
 tuor adscivit, Bernardum, cui officium
 Cantoris Ecclesiæ Toletanæ, deinde Epi-
 scopatum Seguntinum, & tandem Ar-
 chiepiscopatum Compostellensem con-
 tulit, Petrum, qui in Ecclesia Toletana
 educatus, Episcopus deinde Segobien-
 sis fuit, alterum Petrum, qui Ecclesiæ Pla-
 centinæ præfectus est, & Raimundum
 ex oppido *Salvitis*, etiam Bernardi pa-
 tria,

tria, suum postea in Sede Toletana Successorem. Ex Civitate Petrocoriensi delegit Hieronymum, quem Episcopum Valentinum ordinavit. Cum vero haud diu post Christiani hanc civitatem amisissent, eum Sertinam* transtulit, ubi officio Episcopali incumbere, quamvis ibi Sedes fixa necdum esset. Hieronymo fatis functo, primum Sertinensis civitatis titulo Episcopum posuit Bernardum, quem etiam Petrocorio adduxerat. Tandem ex Territorio Lemovicensi secum in Hispaniam deduxit, ut superius memoravimus, Burdinum, quem primum ad Archidiaconatum Toletanum, tum ad Episcopatum Coimbricensem, & demum ad Archiepiscopatum Braccarensem promovit. Ita Francia Hispaniæ Siciliaeque ad Religionem post dominatum Musulmannorum restituendam Episcopos dedit.

Sub idem tempus Petrus I. Rex Aragoniæ e potestate Saracenorum Oscam urbem, quam annis trecentis tenuerant, maxima, mense Novembri anno millesimo nonagesimo sexto, de barbaris reportata victoria eripuit. Tum Papa Episcopum Oscensem, cujus Sedes interim Jacam translata fuerat, restituit, & in Festo Paschæ, quinta Aprilis, anno sequente millesimo nonagesimo septimo, Amatus Archiepiscopus Burdegalensis Oscitensis

Sæculum XI.
A. C. 1096.

* Zamore.

n. 33.

Chron. Mal-
leac. p. 214.

Sæculum XI. *tensis urbis Mosquitam* *, Ecclesiam vero
A.C. 1097. Deo Sacram, dedicavit.

* Moschée.

§. XLIV.

Daimbertus Archiepiscopus Senonensis.

*Chr. S. P. vi-
vi. to. 2. Spi-
cil. p. 749.*

Iv. ep. 58.

In Francia Richerio Archiepiscopo Senonensi, mense Decembri exeunte, anno millesimo nonagesimo sexto e vivis sublato, postquam illi Ecclesie annis triginta quinque præfuisset, Daimbertus ejusdem Ecclesie Vicedominus, vir nobilis & spectatus, ab omnibus Clericis & populo Richerii Successor electus est; sed ejus Ordinatio mensibus quatuordecim dilata, adversante Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & postulante, ut sibi Daimbertus tanquam Primati fidem juraret. Quamvis vero hæc electio, inconsultis illius provinciæ Episcopis, peracta esset, Clerici tamen Senonenses, datis ad Ivonem Carnotensem literis, rogarunt, ut Daimbertum in Festo Purificationis anno millesimo nonagesimo septimo Presbyterum ordinaret (nam Diaconus erat) & Dominica sequente Episcopum consecraret. Respondit Ivo, secundum Canones non nisi quatuor Ecclesiastici anni temporibus Ordines debere conferri, sibi que prius de re ista cum Fratribus suis & ipso electo esse deliberandum. Ita demum Daimberti Ordinatio ad initium futuræ Quadragesimæ indi-

indicta est. Interim Ivo Carnotensis da- Sæculum XI.
 tis ad Hugonem Lugdunensem literis A. C. 1097.

quæsit, quid utrique faciendum esset, acceptoque responso, iterum ei scripsit in hunc modum: *Mandata tua diligenter curavimus, Archiepiscopum Senonensem nuper electum non ordinavimus, & literas tuas ad Provinciæ nostræ Episcopos misimus, ut potestati Apostolicæ obsequamur. Sed rogamus vos & suademus, ut auctoritate ista deinceps parcius utamini, ne si impossibilia præcipiatis, nos ad detrectanda vestra imperia compellatis. Mandata Sacræ Sedis, quæ ad conservandam fidem aut emendationem morum spectant, quocunque nostro periculo servabimus. Cum vero tam districte talia præcipitis, quæ sua natura ad Salutem nec bona sunt nec mala, vel cum ea, ut vobis lubet, mutatis, quæ consuetudine & Patrum auctoritate stabilita sunt, an putatis, Patrum Constitutionibus missis, potius vobis obediendum esse? vobis, inquam, qui a Patrum Decretis nec latum unguem discedere vos profiteremini?*

ep. 59.

ep. 60.

Tum affert complura testimonia Pontificum, declarantium, quod contra traditionem Patrum & auctoritatem Canonum nihil innovare velint. Et adjungit:

Cum ergo Canones præscripserint, quibus conditionibus Metropolita ordinandus sit,

Sæculum XI. *fit, mirari subit, cur petas, ut Electus Senonensis, antequam consecretur, te adeat, & vi Primatus tui obedientiam promittat, quod nec in provincia Senonensi nec in quacunque alia unquam servatum fuisse legitur. Quare Nicolaus Papa in Epistola ad Rudolphum Archiepiscopum dicit: Primatibus aut Patriarchis nullum super alios Episcopos esse privilegium, quam quod consuetudo vel Canones concedunt. Ceterum Electum Senonensem, ut cuncti testantur, stirpis nobilitas & Doctrina sufficiens commendant, qui eum noverunt bonis moribus esse affirmant, & in sua Ecclesia Diaconi munere fungebatur, cum una omnium voce & gratis electus est. Si autem modo, quod petis, faciat, non deerunt, qui dicant, ipsum ignobili submissione suam Ordinationem emisse.*

Inveſtituræ
Sensus.

Objicis vero, quod de manu Regis Investituram Episcopatus acceperit. Equidem id factum nescimus; sed, etiam si accepisset, ne utiquam perspiciamus, quo pacto hæc Cæremonia Religioni noceat, cum nullum edatur juramentum, nec ulla extet Sedis Sacræ Constitutio, qua Reges, peracta Electione Canonica, Episcopatus conferre prohibeantur. Quin potius legimus, Reges non nunquam a Summis Pontificibus fuisse rogatos, ut Episcopis electis Episcopatus conferrent, & ab iisdem consecrationem Episcoporum aliquorum
ideo

ideo fuisse dilatam, quod Regum consen-
sum nondum obtinuissent. Cujus rei exem-
pla plura afferre possemus, sed nimis longi
esse nolimus. Ipse Urbanus Papa, quan-
tum ejus mentem perspeximus, Reges so-
lummodo ab Investitura corporali exclu-
dit, non vero ab Electione seu Collatione,
cum Rex populi, Episcopum eligentis, Ca-
put sit. At parum interest, an Episcopa-
tus collatio vel manu, vel annutu, vel ver-
bis, vel dato baculo significetur, cum Re-
ges Spiritualem potestatem conferre no-
lint, sed solum Electo prædia ceteraque
Bona temporalia, quæ Ecclesiæ Regum
Munificentia in acceptis referunt, imper-
tiri.

Si lex æterna Investituram prohibe-
ret, in potestate Præpositorum non esset,
eam in aliquibus personis severe punire,
quam in aliis tolerant. Cum vero ideo
præcipue illicita sit, quia eam Præpositi
prohibent, vix quemquam ob hanc rem
condemnari videmus; sed conspiciamus
complures dire vexari, cernimus multa
scandala, & Schismata inter Regnum &
Sacerdotium, quorum concordia ad con-
servandam omnium hominum quietem &
pacem maxime necessaria est. Cernimus
Episcopos & Abbates, quorum esset, mo-
res aliorum emendare, & Bona sua tem-
poralia custodire, maxima animi conten-
tione Oratores sibi quærere, qui sua fa-
cundia

Ivonis
Carnotensis
Epistolæ.

Sæculum XI. *cundia eorum causam defendant. Atque*
A.C. 1097. *ita complures, initio sine Simonia labe ele-*
cti, postea hoc crimine involvuntur, cum
sibi Patronos emunt.

Itaque, cum omnes Leges Ecclesiastica
ad Salutem animarum referri debeant, vel
severius in eos animadverti oporteret, qui
legem de Investitura violant, vel hanc rem
omnino dissimulari. Non is ego sum, qui
seditionem in Sedem Apostolicam moveam;
sed ego, & plures Boni, mecum vebemen-
ter cupiunt, ut Ministri Romanæ Eccle-
sia ad tollenda majora mala animum adji-
cerent, ne ipsis jure merito illud Evange-
listæ exprobrari possit, quod culicem exco-
lent, & camelum glutiant. Siquidem

Matth. 23. *cum in omnibus orbis partibus tot crimi-*
24. *na publice perpetrentur, improborum te-*
meritatem coercere vobis curæ non est.
Sed ut ad illud caput redeam, unde digres-
sus sum, peto, ut Electum in Ecclesia Seno-
nensi, nisi impedimentum Canonicum pro-
das, pro more antiquo ordinari concedas.
Nibil enim omnino Ecclesiarum nostrarum
juri detrabi patiemur. Si ultra ni-
bil moveas, electo Archiepiscopo persuade-
re omnibus viribus conabimur, ut Eccle-
sia Lugdunensis Primatum recipiat.

ep. 63. *Ivo Carnotensis de eadem causa Pa-*
pæ scripsit, in hæc verba: Mandata tua
expectamus in causa Archiepiscopi electi
Senonensis, cujus Ordinationi Archiepi-
scopus

scopus Lugdunensis, Legatus tuus, obsistit, Sæculum XI. A. C. 1097.
 quod ille ut Primati obedientiam promittere recuset. Nam, etsi nemo præterea Daimberti consecrationi refragatus fuerit, tui Reverentia prohibuit, ne eum consecravemus, etsi etiam nec ulla Lex extet, nec consuetudo vigeat, qua Metropolitanæ obedientiam Primatibus promittere obligentur. Ivo hanc epistolam, Papæ reddendam, commisit Episcopo Parisiensi, nuper electo, Guilielmo Montfortio, Romam proficiscenti, quem Ivo affectu fraterno Summo Pontifici commendabat, rogans, ut Præsulem juvenem ad cupiditatem venandi, aliasque nugas, quibus illa ætas gaudere solet, abjiciendas, & contra, ad amplectendum orationis lectionisque studium, exhortetur.

§. XLV.

Sacri milites Constantinopoli.

Appetente vere, anno millesimo nonagesimo septimo, Urbanus Papa Teateam venit, ubi, cum Episcopis & Principibus de Bello Sacro deliberans, omnes ad suscipiendam piam profectionem excitavit. Robertus vero Dux Normanniæ, & Stephanus Comes Blesensis, qui in Apulia hyemaverant, quinta Aprilis, die Paschatis, navi se commiserunt. At ubi Boemundo, cum Rogerio Comite, patruo suo, quamdam Arcem in Campania

Chron. Casaur. tom. 5. Spicil. pag. 470. Fulcher. c. 3. Chro. Cassin. IV. c. 11. Hist. Eccles. Tom. XV.

E e e ob-

Sæculum XI. obsidenti, redditæ sunt epistolæ, quibus
A.C. 1097. significabatur, Cruciatos navigare. Ipse
Oderic. IX. Ducum militumque eorum nomina &
p. 724. numerum accurate sibi referri jubet, quibus perceptis, amplum ex holoserico pallium expromi, & in modicas particulas dividi præcipit, Crucesque omnibus suis una sibi servata, distribuit. Quippe militum peregrinantium commune signum erat Crux purpurei coloris humero dextero affuta. Illico omnes Bœmundi Commilitones Francorum, ut illa ætate, lingua, exclamare: *Deus lo volt! Deus lo volt!* sicut nempe, in Concilio Claramontano præsentibus, Pontifici responderant.

Urb. ep. 16. Papa vero ad Alexium Imperatorem epistolam dedit, in qua dicebat; postquam Christiani in Concilio Claramontano Saracenis arma inferre constituerent, Peregrinos Cruciatos ad trecenta millia confluisse. Rogabat Imperatorem, ut subjectos sibi populos Sacris militibus commeatibus necessarios suppeditare juberet, & bellum tam justum, Christianorum nomini tam gloriosum, gerentes omnibus viribus adjuvaret. Copiarum Præfectos nominabat, quos inter Bœmundus septem delecta virorum millia, haud dubie totius exercitus robur, duceret. At procul aberat a consilio Latinis opem ferendi Alexius Imperator,

Anna. Alex.
lib. X. p. 283.
285.

atto-

attonitus, & rerum suarum trepidus, cum ditiones suas occupatas videret in numeris agminibus Francorum, quos Græci Barbaros vocabant, quosque suo volatu haud diu ante tam spissas locustarum nubes, ut diem prope conderent, prænucciasse credebant. Neminem vero magis quam Bœmundum pertimescebat Alexius, hujus viri fortitudinem solertiamque in bello expertus. Persuasum sibi habebat, Religionem nequiter prætendi, re vera autem hunc Principem, cupiditate gloriæ flagrantem, venisse, ut coronam sibi pararet, nec eum minore præda quam toto Imperio Constantinopolitano satiari posse. Cum igitur hujusmodi suspicionibus torqueretur Imperator, in speciem amicitia Cruciatorum Principes maximis honoribus prosequi, clam autem, omnibus quibuscunque valeret modis, nocere statuit. Sed præterea Occidentales peregrini Græcos sponte averfos sua ferocia exacerbabant; nam qui prope Constantinopolitanæ civitatis mœnia castra locaverant, ædes magnificas ruri positas destruebant & incendebant, Ecclesiis plumbea tecta detrahebant, ipsisque Græcis laminas vendebant. Quare Imperatore urgente celeriter Hellepontum, qui exinde, S. Georgii Fretum, dictus est, trajecerunt. In Asiam translati non mino-

Sæculum XI.

A.C. 1097.

Anon. n. 3.

Sæculum XI. re licentia ædes Ecclesiasque diripiebant
A.C. 1097. & concremabant.

§. XLVI.

Nicea capta.

Guil. II. c. Francorum Principes, diversis anni tem-
21. 23. poribus ex Europa profecti, & simul
omnes apud urbem Nicenam collecti,
ejusdem obsidionem, decima quarta Ma-
ji, anno millesimo nonagesimo septimo,
in Festo Ascensionis, moliri cœperunt.
Inito omnium copiarum numero, com-
paruit, equitum ad bellum instructorum
centum millia, peditum vero, mulieri-
bus non subductis, millia sexcenta adve-
nisse. Nicea, quam milite cinxerunt,
illa urbs est, in qua anno trecentesimo
Bibl. Orient. vigesimo quinto primum Concilium Oe-
p. 822. cumenicum celebratum; atque illa tem-
pestate *Solimannus-scha* tertiæ Dynastiæ
Turcarum *Selijucidarum*, seu illius, quæ
in Natolia de *Roum* dicebatur, Nicææ re-
rum potiebatur. *Solimannus* vero na-
tus erat Patre *Cotlouniche*, *Selijuci* ne-
pote & *Togroulbeci* patruelis, cujus suo
Sup. lib. loco meminimus. *Melic-scha*, *Togroul-*
LXI. §. 13. *beci* secundus Successor, *Solimannum* mi-
sit, bellum Græcis in Natolia illaturum,
qui fortunam usque adeo faventem ha-
buit, ut, provinciis plerisque ibidem sub-
actis, jam anno Ægyræ quadringentesi-
mo octogesimo, Jesu Christi millesimo

octo-

octogesimo septimo, Sedem fixerit. Ce- Sæculum XI.
 terum annos viginti in urbe *Couniet* seu A.C. 1097.
Cogna, quæ vetus Iconium esse creditur,
 regnavit. Nicea vigesima die Junii, ut *Guil. III.*
 convenerat, dedita est Imperatori Alexio, *c. 11. 12.*

Principibus Cruciatibus consentientibus,
 ringentibus contra militibus, qui eam
 urbem diripiendi licentiam speraverant.

Nam, pactis cum Alexio Imperatore
 initis, Principes Sacræ militiæ homagium
 præstiterant, & promiserant, se ei cun-
 ctas Imperii urbes, quas ejectis Infideli-
 bus subigerent, reddituros esse, aut eas
 jure Feudali ab ipso accepturos. Impe-
 ratoris vero fuisset, copias suas conjun-
 gere, annonam præbere, & Latinis Je-
 rosolymam oppugnantibus auxilium fer-
 re. Verum Imperatore nihil eorum,
 quæ promiserat, implente, Cruciatibus se
 jurata fide exsolutos crediderunt. Ita-
 que capta Nicea ad interiora Natoliæ
 progressi multas urbes expugnarunt, qui-
 bus suo nomine custodiendis præsidia
 præfectosque imposuerunt. Jamque *Guil. IV.*
 Tarsum & reliqua Ciliciæ oppida tene- *c. 1. 2. 3.*
 bant; tum Balduinus, Ducis Godefridi
 frater, relicto majore exercitu, ad læ-
 vam cum agmine suo, Septentrionem
 versus, processit, quemdam nobilem Ar-
 menum nomine Pancratium, viæ ducem
 secutus. Intra paucos dies pervenit ad
 Euphratem, nam cum regionum illarum

Sæculum XI.
A.C. 1097.
incolæ Christiani essent, haud ægre se se dedebant. Quin etiam, ubi fortitudinis ejus fama Edessam pervasit, incolæ, omnes Christiani, Præfectum habentes Græcum vetulum, urbi defendendæ imparem, advocarunt Balduinum, ubi ipse Princeps salutatus, exinde potentem Rempublicam condidit.

§. XLVII.

Antiochia obsessa.

Interea Cruciatorum exercitus in Syria procedens, ad Antiochiæ mœnia pervenit, & ad obsidendam maximam urbem vigesima prima Octobris anno millesimo nonagesimo septimo se se comparavit. Illa adhuc tempestate Antiochia urbs erat amplissima & munitissima, ac civium plerique Christiani. Patriarchæ Antiocheni Jurisdictioni subdebantur provinciæ viginti, quarum quatuordecim totidem Metropolitanæ præerant; at sex reliquas regebant duo Præsules, dicti Catholici, id est, Universales, quorum unus Anii in Armenia, ubi fontes Euphratis reperiuntur, alter Irenopoli seu Bagdati sedebat. Bagdatensis Catholicus Nestorii Sectæ addictus erat, & alter Eutycheis, nempe uterque hæreticus. Græci, ut suo loco memoravimus, anno nongentesimo sexagesimo octavo, Antiochiam sub Nicephoro Phoca receptam, annos

ibid. c. 9. 10.
8c.

Sup. l. LVI.
§. 28.

annos centum & sedecim tenuerant, us-
 que ad annum Hegiræ quadringentesi-
 mum septuagesimum septimum, Repara-
 tæ Salutis millesimum octogesimum quar-
 tum, quo eam Solimannus, *Cotlounich*
 filius, a *Melic-scha* iussus, obsidione ad-
 ditionem compulit. Eam deinde *Me-
 lic-scha* alteri Turcæ nomine *Acsian*, pro-
 pinquo suo, commisit, qui Imperii con-
 tra Califam Fatimitam Ægypti (hujus
 enim Regnum in Syria usque Laodiceam
 protendebatur) fines tueretur. Rebus
 humanis ereptus est *Melic-scha*, anno
 Hegiræ quadringentesimo octogesimo
 quinto, Jesu Christi millesimo nonagesi-
 mo secundo, non plus annis triginta se-
 ptem natus. Successit ejus filius natu-
 maximus *Barquiarouc*, sed cum primis
 Regni sui annis bello civili implicaretur,
 Cruciatu eo faciliore negotio in Syria
 vincebant. Præterea quia Turcarum
 Principes maximi momenti rebus Bagda-
 ti & in Persia occupabantur, minor erat
 de Syriæ & Natoliæ finibus cura.

§. XLVIII.

Baldericus Episcopus Noviomensis.

Ratbodo II. Episcopo Noviomensis vita *Epist. to. 5.*
 functo Baldericus unanimi Clerico-
 rum populique consensu sufficitur. Erat *Miscell. Bal-*
 is Dynastæ Sarchinovillensis in Artesia *luz. p. 309.*
 filius, in Ecclesia Noviomensis educatus, *Gall. Chron-*
to. 3. p. 316:

Ecc 4

tunc-

Sæculum XI.
 A.C. 1097.
 Bibl. Orient.
 p. 118.

Sæculum XI.
A.C. 1097.

Sup. lib.
XXXII.
S. 43.

Miscell.
p. 312.

tuncque ejusdem Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus. Manasses Archiepiscopus Remensis, approbata Balderici electione, & die Consecrationis in Dominica, octava Pentecostes, hujus anni millesimi nonagesimi septimi, præstituta ad solemnem hunc Ritus peragendum suæ Provinciæ Episcopus invitavit, speciatim Lambertum Attrebatensem, qui se excusavit, adducta causa, quod viæ publicæ latrociniis infestarentur. Tunc vero Clerici Tornacenses spem conceperunt, effici posse, ut a Jurisdictione Ecclesiæ Noviomensis, cui Tornacensis a S. Medardi temporibus, scilicet abhinc annis plusquam quingentis, junctæ fuerat, liberarentur. Nam ipsis exemplum Ecclesiæ Attrebatensis, ab Ecclesia Cameracensi separata, favebat, cum eadem omnino argumenta suppeterent. Lite igitur contestata, Manasses Archiepiscopus Remensis Baldericum Romam misit, ubi Ecclesiarum Noviomensis & Tornacensis Oratores causam dixerunt. At Papa forsan memor, quantæ molis fuisset Ecclesiam Attrebatensem in libertatem asserere, noluit quidquam de Ecclesiis Noviomensi & Tornacensi decernere, sed Baldericum ad Archiepiscopum Remensem remisit cum mandatis; id statueret, quod Balderico ipsiusque Ecclesiæ Noviomensi magis prodesse, & æquitati ma-

gis

gis consentaneum, crederet. Ergo Archiepiscopus, die Dominica post Epiphaniam anno sequente millesimo nonagesimo octavo Baldericum ordinandum esse, indixit. Atque ita Baldericus, Episcopatum Noviomensē consecutus, annis quatuordecim sedit, vir doctus, atque edito suo Chronico Cameracensi, quod ab origine illius Ecclesiæ usque ad annum millesimum trigesimum perduxit, celeberrimus.

Sæculum XI.
A.C. 1097.

§. XLIX.

S. Anselmus extra Angliam.

Cum Norbertus Dux Normanniæ Jerosolymam peregrinari statuisset, ad annos tres, initis cum Rege Angliæ fratre suo pactis, possessione Normanniæ cessit, accepta pecunia a Rege sibi tradita. Ut vero tantam auri vim colligeret, Rex omnes Angliæ Ecclesias spoliavit, vasa argentea, Sacrarum Reliquiarum arcas, & librorum Evangelii operimenta, abstulit. S. Anselmus, ut Regi obsequeretur, ducentas argenti marcas ex Thesaurō Ecclesiæ suæ concessit, quas cum non posset præsentē pecunia solvere, ei ad annos septem possessionem prædii, ad Præsulem sustentandum destinati, attribuit. Haud diu post Rex Angliæ, populis Walliæ, qui seditionem moverant, domitis, literis ad Archiepiscopum datis signi-

*Eadmer. 2.
Novor. p. 45.*

E e e s f i c a

Sæculum XI.

A. C. 1097

ficavit, milites, quos sibi in hoc bello
 mississet, non ita fuisse instructos, ut uti-
 lem operam præstare potuissent. Quare
 Archiepiscopum paratum ad curiam
 suam venire iussit, ubi culpam dissolve-
 ret. Facile intellexit Anselmus, fictum
 hunc esse prætextum, quo in Curia Re-
 gia pro causa Religionis quidquam mo-
 vere prohiberetur, & optime gnarus in
 illo iudicio simpliciter ad Regis nutum
 sententiam proferri, periculum subire
 noluit, sed nullo responso illi, qui man-
 datum Regis attulerat, dato, Romam pro-
 ficisci statuit, Papam consulturus, qua
 potissimum ratione tot Ecclesiæ suæ ma-
 lis occurrere oporteret.

Ad Curiam quidem in Festo Pente-
 costes anno millesimo nonagesimo septi-
 mo venit, at cognoscens quod Regem
 adhuc sibi infensum haberet, quosdam
 Proceres rogavit, ut suo nomine a Rege
 licentiam Romam pergendi peterent,
 quod iter rebus suis omnino esset neces-
 sarium. Rex novum consilium valde
 miratus, *haud, sane! puto,* respondit, *Ar-*
chiepiscopum nostrum tam grandis pecca-
ti reum esse, ut a solo Papa absolvi possit,
præterea scimus, verum esse tanta scien-
tia, ut magis ipsius consilio Papa, quam ipse
Papæ indigeat. Patienter responsum
 hoc tulit Anselmus, & post alteram etiam
 repulsam, cum mense Octobri Winto-

nia

nia consensum Regis tertio peteret, ille ^{Sæculum XI.} acriter commotus, ^{A.C. 1097.} sciat Anselmus, inquit, si ex Anglia solvat, me omnia Ecclesie Cantuariensis Bona occupaturum, & ipsum pro Archiepiscopo non amplius habiturum esse. Anselmo deinde consilium a quatuor Episcopis tunc presentibus expetenti, illi ingenue facti sunt, se suis censibus privari nolle, Anselmi agendi rationem se non satis capere, nec tandem, cum ipso, separatos a Rege, soli Deo adherere posse.

Adfuere deinde a Rege missi, qui Anselmo dixerunt: *Cum Roebingamie cum Rege in gratiam redires, promissisti ei, te Leges & consuetudines Regni servaturum; sed his Legibus omnino adversatur, quod Principum virorum aliquis, præsertim Archiepiscopus Cantuariensis, sine Regis licentia iter Romam suscipiat.* Anselmus Regem adiit, & ad ejus dexteram pro more confidens, fateor, inquit, ^{S. Anselmus} quod promiserim, me Regni tui consuetudines servaturum, verumtamen id in eo sensu intelligendum erat, me consuetudines recipere, quæ Deo & sanæ rationi non repugnarent. Et Regi Proceribusque objicientibus, quod hujusmodi conditionem tunc non addidisset, reposuit: *Deus nolit! ut aliquis Christianus leges aut consuetudines recipiat, Legibus Divinis adversas. Dicitis, consuetudini vestra repugna-*

Sæculum XI. *pugnare, si proficiscar, & S. Petri Vicarium de rebus ad Salutem animæ meæ & Ecclesiæ meæ Regimen pertinentibus consulam; ego vero existimo, banc consuetudinem Deo & rectæ rationi esse contrariam, quam contemnere bonum Dei Servum decet.* Tandem consensit Rex, ut Romam iret, & Anselmus ei valedicens Benedictionem Sacerdotalem impertitus est, quam ipse, fortitudinem animi in Præfule demirans, inclinato capite recepit. Ita Anselmus die Jovis decima quinta Octobris anno millesimo nonagesimo septimo Regem Guilielmum reliquit.

Tum Cantuariam rediit, ubi Monachos Cathedralis consolatus, hortatusque, ut ærumnas ipso absente imminentes animo constanti sustinerent, præsentibus omnibus Clericis populoque, scipionem & manticam more peregrinantium accepit, Deoque cunctos inter mutuas lacrymas commendavit. Cum Dubrim pervenisset, obvium ibi habuit quemdam Clericum, nomine Guilielmum a Rege missum, qui toto quindecim dierum spatio, quo ventum faventem expectavit, de causa, cur advenisset, siluit; ubi vero Anselmum jam jam navem conscensurum vidit, eum, Regis nomine, in litore maris gradum sistere jubet, ut exploraret, quas res iter faciens Præsul ex Anglia auferret. Ergo omnes

omnes sarcinæ solvuntur & diligentissi- Sæculum XI.
me excutiuntur, non sine scandalo ad A. C. 1097.
spectandum circumstantis populi, & in-
dignum esse intempestiva vexatione Ar-
chiepiscopum proclamantis.

§. L.

S. Anselmus Lugduni.

Anselmus emenso per Franciam itinere
in Burgundiam pervenit, ibique eum
Dux honorifice excepit. Inde die tertio
Cluniacum divertit, ibi post triduum
Natalem Domini celebraturus. Venien-
tem Cluniacenses maximo honore pro-
secuti sunt. Ex hoc monasterio suorum
quemquam misit, qui ipsum advenisse
nunciaret Hugoni Archiepiscopo Lugdu-
nensi, veteri amico suo, qui vicissim ma-
gno desiderio Anselmum videndi teneba-
tur. Porro Anselmus Hugonis sapientiam
tanti aestimabat, ut ipsius & S. Hugonis
Abbatis Cluniacensis arbitrio totum Ec-
clesiæ suæ negotium committere decre-
verit. Archiepiscopus vero Lugdunen-
sis Episcopum Matisconensem Anselmo
obviam procedere jussit, eumque Lugdu-
num deducere, ubi ei maximus honor
exhibitus.

Cum S. Anselmus Lugduni versare-
tur, comperit, se sine magno periculo
ultra procedere non posse, eo quod Gui-
bertinæ factionis Schismatici omnes Ro-
mam

Sæculum XI.
A.C. 1098.

Bertold.
1092.

mam peregrinantes, inprimis autem Clericos aut Monachos spoliarent. Guibertus quoque haud procul Ravenna, prima sua Sede, Arcem quamdam munitam obtinens, omnes Padum amnem trajicientes sibi obnoxios habebat, qua vero haud diu post expulsus est. Igitur Anselmus cognitis tot obstaculis cum eum præterea corporis infirmitas gravaret, Papæ scribere & Lugduni Responsorias expectare statuit. Epistolæ Summa hæc erat. *Ad te confugere, Sanctissime Pater! afflicto corde volebam, sed quia ob causas, quas aperiet nuncius, cum epistolam tibi reddet, ad te pervenire non possum, Sanctitatem tuam per literas consulere cogor. Neminem, ut opinor, latet, quam invitus Episcopatum suscipere coactus fuerim. Jam annis quatuor Episcopus sum, nec meo, nec aliorum bono; sed tot ærumnis obrutus, ut potius extra Angliam mori, quam ibi vivere exoptem; timeo enim, ne in illo Regno Salutem meam operari nequeam. In Anglia commorans plurima mala videbam, quæ dissimulare non debebam, & tollere non poteram. Rex, defunctis Episcopis, Ecclesias vacantes diripiebat, me ipsum & Ecclesiam Cantuariensem lædebat, quam novis & ingentibus exactionibus vexabat, ejusque fundos Vasallis suis concedebat. Videbam Legem Divinam & Constitutiones Canonicas con-*
temni,

temni, & perversam licentiam improbis
 exprobranti, nihil aliud mihi opponebant,
 quam consuetudines, proprio ipsorum ar-
 bitrio introductas. Satis intelligebam,
 me semper tacere salva conscientia non
 posse, cum isto silentio malas consuetudi-
 nes, & futuris Successoribus meis noxias,
 approbare viderer. Nec poteram actio-
 nem in iudicio movere, nemine mihi vel
 auxilium præstare vel saltem consilium
 suggerere audente. Ergo Sanctitatem tuam
 adeundi licentiam a Rege petii; quæ res
 cum usque adeo offendit, ut pœnas a me repo-
 sceret, quasi vero maximam intulissim in-
 juriam, & ad fidem dandam vellet compel-
 lere, me nunquam ad Sedem Apostolicam
 appellaturum esse. Quare, cum his adjun-
 ctis permanentibus Salutem meam in Epi-
 scopatu consequi non possim, supplex tibi
 accido, & per amorem illum, quo Deum
 & animam meam complecteris, rogo: eri-
 pe me ab hac servitute, libertatem Deo
 tranquille serviendi redde, tum, pro tua
 prudentia & auctoritate, Ecclesiæ Angli-
 canæ consule.

Inter hæc in Italia fama spargitur:
 Archiepiscopum Cantuariensem Romam
 petere, magna auri vi onustum; quod
 cupiditatem multorum, inprimis Schis-
 maticorum, Henrici Imperatoris parti-
 bus faventium, & in via Archiepiscopum
 comprehendi posse sperantium, accen-
 dit.

Sæculum XI.

A.C. 1098.

Sæculum XI. dit. Nam insidias omnibus Romam proficiscentibus struebant, atque complures Episcopi, Clerici, Monachi, in itinere capti, spoliati, contumeliis affecti, ac non nulli vita quoque privati. At pericula ista Anselmus evasit Lugduni commorans, & Responsum Papæ expectans; quippe aliqui peregrinantes, Archiepiscopi itinera explorantibus, dixerunt, Anselmum Lugduni ex morbo decumbere, & iter Romanum non profecuturum. Nec a vero aberrabant, quandoquidem Anselmum Lugduni morantem gravissimus morbus corripuerat; sed jam pæne convaluerat, cum rediit nuncius ab ipso Romam missus, afferens Papæ mandatum, quo Romam strenue contendere jubebatur.

§. LI.

S. Anselmus Romæ.

vita. n. 41.
42. Itaque Anselmus Lugduno excessit, die Martis ante Dominicam Palmarum, seu decima septima Martii, anno millesimo nonagesimo octavo, duobus solum monachis, Balduino & Edmero, qui S. Viri vitam scripsit, comitantibus. Iter vero faciebat, privati monachi speciem præferens, & incognitus omnibus; sicque, Festis Paschalibus in Monasterio S. Michaelis Clusii celebratis, tandem Romam feliciter pervenit. Archiepiscopum

pun advenisse nunciantibus præcepit Sæculum XI.
A.C. 1098.
 Papa, ut ei hospitium in suo Palatio pa-
 rarent, eique quietem in reliquum diem
 concessit. Altera luce Papa Anselmum
 in conspectum suum, postquam Proceres
 Romani, comperto, quod Archiepisco-
 pus Cantuariensis adesset, convenissent,
 admisit, & Sedem, in qua acquiesceret,
 ex adversa parte poni iussit. Ipse pro
 more pedibus Pontificis adsternitur; at
 Pontifex a terra levatum osculatur, &
 cum sedisset, omnesque conticuissent,
 maxima laude cumulat, subjungens:
*Quamquam Anselmum ob multam ejus
 Scientiam, tanquam Magistrum nostrum
 veneremur, & propemodum, ut nobis
 æqualem, videlicet alterius mundi Pa-
 triarcham, maximi faciamus; (*) nibilo-
 minus humilitatis virtus virum ad lon-
 gum iter suscipiendum coegit, ut Sanctum
 Petrum in nostra Persona honoraret, &
 de negotiis suis nos consuleret, nos inquam,
 qui ipsius potius consilio egemus. Ve-
 strum igitur iudicium sit, Auditores,
 quanto amore vir tantus, quanto bonore
 dignus sit!*

Anselmo nihil, quod ad hæc respon-
 deret, superfuit, sed silentium & hone-
 stus

(*) Nempe, apud toto divisos orbe Bri-
 tannos.

Sæculum XI. **A.C. 1098.** ftus in vultu rubor verecundiam proderunt. Tum Papæ itineris causam exquirenti, eam, sicut in ipsius epistola retulimus, exposuit. Papa opem, quanta in viribus suis esset, promisit, datisque ad Regem Angliæ literis, exhortatus est, injunxitque, ut Archiepiscopum in omnia Ecclesiæ suæ Bona restitueret. Anselmus quoque Regi scripsit, mansitque Romæ dies decem in Palatio Lateranensi cum Papa, qui eum præsidii sibi concessi effectum Romæ expectare jussit. Cum vero maximus Romæ esset illa æstate calor, advenis summe noxius, consensit Papa, ut Anselmus ad Monasterium S. Salvatoris prope Telesium in terra Laboris concederet, cujus loci Abbas Joannes olim Becci monachus fuerat. Nam licet Joannes patria Romanus esset, literarum amor eum in Franciam & Anselmi fama ad monasterium Beccense pertraxerat. At post aliquot annorum spatium, cum Urbanus Papa hunc Joannem monachum a viris spectatæ auctoritatis laudari audivisset, ad se advocatum Abbatiae S. Salvatoris præfecit. Nihil etenim Urbano magis curæ erat, quam viros bene meritos accersere; quare complures monachos ad Dignitates Ecclesiasticas evexit, videlicet Albertum, quem primo Presbyterum Cardinalem & deinde Episcopum Sipontinum ordi-

Ital. Sacr.

to. 7. p. 1119.

ordinavit, Bernardum Uberti Florenti-
 num, quem Presbyterum, Cardinalem
 Legatum, tum Episcopum Parmensem
 creavit, Milonem monachum S. Aubini
 Andegavi, quem Cardinali Schismatico
 Hugoni Candido in Episcopatu Prenesti-
 no suffecit, & tandem Joannem Marsen-
 sem, quem Episcopum Tusculanensem
 esse iussit.

Sæculum XI.
 A. C. 1098.

Baron. ad
 Martyr.

4. Dec.
 Ital. Sacr.
 to. I. p. 224.
 263.

§. LII.

*Tractatus de causa, cur Deus factus
 sit Homo.*

Itaque Anselmus, a Joanne Abbate invi-
 tatus, ad ejus Monasterii prædium,
 quod *Sclavia* dicebatur, & ubi salubris
 aer hauriebatur, se recepit, Responsum
 Regis Angliæ præstolaturus. Tunc ve-
 ro Anselmus gratissimæ solitudinis ille-
 cebris captus, illas repetiit exercitatio-
 nes, quibus Becci, antequam munus Ab-
 batiale suscepisset, delectatus fuerat,
 nempe opera pietatis, & altissimorum
 Religionis nostræ Mysteriorum contem-
 plationem. Tractatum inceptum absol-
 vit, cui Titulus: *Cur Deus factus sit Ho-
 mo?* occasionem autem scribendi indicat
 in hunc modum: *Complures sæpe me &* Lib. I, c. I.
*instantissime rogarunt, ut literis manda-
 rem argumenta, quæ colloquendo exprom-
 pseram de quæstione quadam, ad Fidem no-
 stram pertinente; istud vero exoptabant,*

Fff 2

202

Sæculum XI. A.C. 1098. *non plane ea mente, quod per vires intel-
lectus humani se ad Fidem pervenire posse
crederent, sed ut ea, quæ credunt, etiam
intelligerent, jucunde contemplarentur,
aliisque Fidei suæ rationem reddere vale-
rent. Hanc nempe quæstionem nobis mo-
vent Infideles, simplicitati nostræ illuden-
tes, qua ex causa, inquiunt, aut qua ne-
cessitate urgente Deus Homo factus est, &
Mundo vitam sua morte reddidit, cum id
per alium, puta per Angelum, Hominem-
ve, aut etiam sola sua voluntate efficere
potuisset? (*)*

Anselmus hoc Opus in Anglia, cum
in eum persecutio maxime ferretur,
inceptum in isto otio ad finem perduxit,
divi-

(*) Dieser Frage der Heyden ist der elen-
de Vorwurf sehr ähnlich, welchen der Luthera-
rische Uebersetzer des Fleury dem Theodorus Abu-
cara, einem Catholischen Bischofe in Carien, der
die Parthey des Photius verlassen, in einer An-
merkung gemacht hat im 7. Theile, 51. Buche, auf
der 480. Seite. * allwo er saget: Der gute
Theodorus sagt so gar, daß Christus um un-
bekannter Ursachen willen den Kreuzestod
erlitten habe, welches einem Bischofe der
Christen zu einer ewigen Schande gereichet,
da dieses eine von den deutlichsten Wahrhei-
ten in dem Evangelio Jesu ist, daß er um
unserer Sünden willen gestorben sey. Es ist
vielmehr eine ewige Schande dieses Lutheraners,
da

* Fleury to.
XII. l. LI.
p. 456.

divisitque in duos Libros, in quorum ^{Sæculum XI.}
 primo ea, quæ Infideles objiciebant, & ^{A.C. 1098.}
 Responsa Anselmi continebantur. Nempe, omiſſa interim omni Jeſu Chriſti men-
 tione, ac ſi de eo nunquam fuiſſet mota
 quæſtio, argumentis ſtringentibus proba-
 tur; eſſe impoſſibile, ut aliquis homo ſine
 ipſo, id eſt, niſi Deus factus eſſet homo,
 ſalvetur. In Libro ſecundo iterum ar-
 gumentando monſtratur, Hominem in
 cum ſinem creatum fuiſſe, ut aliquando
 cum corpore & anima beata Immortali-
 tate frueretur, ad quam ſine auxilio Dei
 Hominis pervenire non poſſet, unde
 conſequi, omnia, quæ de Jeſu Chri-
 ſto credimus, ita neceſſario ſe habe-

Fff 3 re.

da er die Worte dieſes Biſchofs ſo einfältig ausle-
 get, und meynet, er habe gar nicht gewußt, daß
 Chriſtus um unſerer Sünden willen geſtorben ſey.
 Denn weil unſer Erlöſer entweder auf eine ande-
 re Weiſe, oder doch durch die Vergießung eines ein-
 zigen Blutströpfchens die Sünder hätte ſelig ma-
 chen können, ſo bleibt es allerdings ein uns unbe-
 kanntes Geheimniß, warum der Sohn Gottes auf
 dieſe und keine andere Weiſe, und durch keinen an-
 dern als durch den Schmerz- und Schand-vollen
 Tod des Kreuzes habe ſelbſt genug thun wollen.
 Nämlich unſer Ueberſetzer kann wohl die Päbſte
 und die Katholiſchen Biſchöfe meiſterlich beſchim-
 pfe, nicht aber vorkommende Fragen aus der Got-
 tesgelehrtheit vernünftig und gründlich entſchei-
 den.

Sæculum XI. re. (*) Infideles, de quibus Anselmo hic
A.C. 1098. sermo est, Judæi haud dubie fuerint, toto
 Christiano orbe diffusi, & Musulmani in Hispania. Nam cum Musulmannis
 in Oriente Christianis in Occidente de-
 gentibus necdum ullum commercium
 erat, utpote quod demum post Sacri bel-
 li initia haberi cœptum. Ceterum,
 si

(*) Ut hæc exponit Fleurius, S. Anselmus vi-
 deri posset implicite docuisse, quod Christus ven-
 turus fuisset, etiamsi Adamus non peccasset;
 Sed postquam ipsum fontem inspexi, nullum
 hujus opinionis vestigium deprehendi, nam S.
 Anselmus semper præsumit statum hominis per
 peccatum lapsi, & Cap. V. Lib. I. ista leguntur.
 BOSO: *Hæc ipsa liberatio, si per aliam quam
 per Dei Personam (sive per Angelum sive per
 Hominem) esse facta quolibet modo diceretur;
 mens humana hoc multo tolerabilius acciperet.
 Potuit enim Deus hominem aliquem facere sine
 peccato non de massa peccatrice, nec de aliquo
 homine; sed sicut fecit Adam: per quem hoc
 ipsum opus fieri potuisse videtur.* ANSEL-
 MUS: *An non intelligis, quia quæcumque alia
 Persona hominem a morte æterna redimeret,
 ejus Servus idem homo recte judicaretur? Quod
 si esset; nullatenus restauratus esset in illam Di-
 gnitatem, quam habiturus erat, si non peccas-
 set: cum ipse qui non nisi Dei Servus & æqualis
 Angelis bonis per omnia futurus erat, Servus
 esset ejus, qui Deus non esset, & cujus Angeli
 Servi non essent.*

si methodus scribendi spectetur, totum **Sæculum XI.**
 Opus Dialogus est inter Anselmum & **A.C. 1098.**
 Bosonem monachum, postea Abbatem **Chron. Becc.**
 Beccensem, in quo Mysterium Satisfac- **an. 1124.**
 tionis Jesu Christi pro genere humano
 solide pertractatur.

Præterea in Libro etiam secundo Bo-
 so quæstionem in medium affert, in hæc
 verba: *Quomodo Deus Naturam huma-* **c. 16.**
nam ex corrupta generis Humani massa
assumere potuit? quamvis enim ejus Con-
ceptio pura sit, Virgo tamen, ex qua Hu-
manitatem accepit, in peccato Originali
concepta est, quia & ipsa peccavit in Ada-
mo, in quo omnes peccarunt. Anselmus
 respondet: Cum constet, hunc Homi-
 nem Deum esse & Reconciliationis inter
 Deum & hominem Auctorem, non su-
 peresse dubitandi locum, quin omnino
 sine ullo peccato sit, nec nos turbari oport-
 ere, etiamsi capere non valeamus, quo
 pacto ex massa peccatrice ipse ab omni
 peccato liber educi potuerit. Ad illud
 vero, quod ad peccatum Originale Sanctæ
 Virginis pertinet, nihil respondet,
 sed solummodo postea dicit, ipsam nu- **c. eod. &**
 mero eorum accenseri, qui per Jesum **seq.**
 Christum a peccato mundati fuissent.

§. LIII.

Capua obsidetur.

Anselmum *Sclavia* commorantem per- **c. eod. &**
 Fff 4 multi **seq.**

Sæculum XI. multi invifabant, tanti viri fama ad ex-
 petendum ejus in rebus arduis confilium

A.C. 1098.

vit. c. 4.

*Gaufr. Ma-
lat. IV. c. 27.*

adducti; cunctique fatebantur, se Ar-
 chiepiscopum neutiquam sua expectatio-
 ne minorem invenisse. Quin etiam a
 Rogerio, Apuliæ Duce, tunc Capuam
 obsidente, rogatus Anselmus, ad eum
 in castris se contulit, ubi omni obsequio-
 rum genere, quo venerationem & ami-
 citiam profiteri solemus, exceptus est.
 Papa quoque illuc venit, sperans, se mi-
 litantes ad ineunda pacis fœdera permo-
 turum esse. Sed nihil effecit; Anselmus
 vero apud Papam mansit in loco non
 procul a civitate Capuana posito, donec
 urbs illa Rogerio Duci se dedit. Ple-
 rique, qui Papam adibant, etiam Ansel-
 mum conspicerere cupiebant, hunc virtu-
 tibus, illum Summa Dignitate fulgentem.
 Pauperes, qui ad Papam accedere non
 audebant, præsidio Anselmi juvabantur,
 quem etiam Saraceni, a Rogerio Comi-
 te, Ducis patruo, e Sicilia adducti, ut
 poterant, honore prosequiebantur.

*Diplomat.
ap. Sur.
6. Octob. &
Baron. 1097.*

In obsidione Capuæ sub Duce Roge-
 rio ducenti Græci stipendia merebantur,
 quibus quidam Sergius præerat; is auro
 a Principe Capuano sibi oblato corru-
 ptus, promisit, se castrorum munimenta,
 in illa regione, quæ ipsi commissa erat,
 proditurum. Illa vero nocte, qua insi-
 diæ parabantur, Rogerio Duci, somno
 indul-

indulgenti, S. Bruno conspicuus factus, Sæculum XI.
A.C. 1098
 eum celeriter surgere jubet, & arma ca-
 pere, si se & exercitum suum imminenti
 periculo ereptum vellet. Dux evigilans
 expavescit, equos conscendere suorum
 proximos jubet, qui Sergium cum con-
 sciis fugientem occuparunt, & plerisque
 eorum captis, fidum fuisse proditoris in-
 dicium cognoverunt. Capua in pote-
 statem redacta, Dux mense Julio exeun-
 te Squillacium venit, ubi per dies qua-
 tuordecim ex morbo decumbentem S.
 Bruno cum quatuor Fratribus invisit, ut
 ægrotanti solatium afferret. Narravit
 autem Dux oblatam sibi visionem, gra-
 tias Brunoni agens, quod se absentem
 precibus suis juvasset. Tum vir San-
 ctus, *non me, inquit, dormiens vidisti, sed
 Angelum Dei, qui Principes bellum ge-
 rentes comitatur.* Duci deinde rogan-
 ti, ut pingues Ditionis suæ Squillacensis
 census in grati animi pignus pro collato
 beneficio vellet accipere, Vir Sanctus re-
 spondit: *Domum patris mei, tuamque Re-
 giam relinqui, ut ab omni cura rerum ex-
 ternarum liber soli Deo servirem.* Sed
 tandem Monasterium S. Jacobi cum pro-
 ximo castro accipere compulsus est, at-
 que in ipsis Actis hujus Donationis Ro-
 gerius ista, quæ modo retulimus, com-
 memorat.

Sæculum XI.
A. C. 1098.

§. LIV.

*S. Anselmus Episcopatu se abdicare
meditatur.*

*Edmer. II.
Nov. n. 31.*

n. 34.

Post obsidionem Capuæ Papam, urbem Averſanam petentem, Anselmus ſecutus eſt. Tunc vero Præſulem ſerio cogitantem, quantas ærumnas in Anglia, ſine omni pæne fructus ſolatio, tuliffet, contra vero quam ſuavi quiete nunc frueretur, & quanto ſalutis aliorum emolumento nunc audiretur ab omnibus, ex quo Angliam reliquiſſet, ingens deſiderium ſubiit nunquam illuc revertendi, & ſe ſe Archiepiscopatu abdicandi. In eo propoſito inde confirmabatur, quod exigua eſſet ſpes, ſe unquam pacem habiturum cum Rege Guilielmo, de quo in dies pejora nunciabantur, quæ animum Principis non Juſtitiam modo, ſed etiam Religionem contemnentis prodebant. Ergo in conſpectum Papæ procedit, & poſtquam expoſuiſſet, quantis fluctibus mens anxia agitantur, rogat, ut ſui commiſeratione tangi ſe ſineret, & ab Episcopatus onere liberaret. Exclamat Papa: *En magnum Episcopum! en præſtorem eximium! qui necdum guttam unicam ſanguinis effudit, & gregem ſuum deſerere vult. Custodiat te Dominus, Frater mi, ne iſti tentationi succumbas. Nam ſcias velim, me, quod petis, non modo tibi*
dene

denegare, sed etiam in Dei & S. Petri nomine imperare, ut, quoad possis, Regni Anglici curam non dimittas, etiamsi te in illam Insulam redire Regis tyrannis non permetteret. Sed tam auctoritatem quam insignia Episcopatus, in quocunque loco verferis, tibi serva. Acquievit Anselmus, eumque Pontifex Barii adesse iussit, ad Concilium prima die Octobris ibi celebrandum, in quo ei præsidium Papale contra Regem Angliæ & omnes Libertatis Ecclesiasticæ hostes præstiturus esset. Interim Anselmus ad solitudinem Selaviacensem redux, ut obedientiæ meritum sibi compararet, petiit a Papa, Præpositum sibi dari Edmerum monachum, itineris socium, sine cuius licentia deinde nihil agebat, & ne quidem noctu corpus in lecto versabat.

Sæculum XI.
A.C. 1098.

Malmesb. I.
Pont. p. 219.

§. LV.

Monarchia Siciliae.

Cum Papæ nunciatum fuisset, Ducem Calabriae, & Siciliae Comitem, ipsius Patrum, Salerni commorari, eo se contulit, familiariter collocuturus Comiti, quem tenerrimo amicitiae affectu complectebatur. Pridem vero Papa Robertum Episcopum Trainiensem, Legatum suum in Siciliam, Comite inconsulto, miserat, quem Comes usque adeo fastidiebat, ut eum munere Legati Apo-

Gaufr. Mart.
let. IV. c. ult.

Sæculum XI. Apostolici fungi nollet. Itaque Papa
 A. C. 1098. mandata Roberto data retractat, & ipsi
 Comiti, cujus fervorem in omnibus cau-
 sis ad Ecclesiam pertinentibus noverat,
 Legationem hæreditariam in tota Sicilia
 concedit, addito promisso, quamdiu ipse
 viveret, aut Hæredes existerent, qui ei in
 zelo succederent, alium Legatum a Sede
 Apostolica in Siciliam, ipsis invitis, nun-
 quam esse mittendum. Si vero Eccle-
 siæ Romanæ necessarium videretur, in
 Siciliam mandata dirigere, tunc, acceptis
 Romanæ Sedis epistolis, Comes, Episco-
 pis ad consilium adhibitis, de negotiis
 sibi commissis decerneret. Si Episcopi
 Siciliæ ad Concilium celebrandum invi-
 tati fuerint, Comes, vel ejus Successo-
 res, quos voluerint, mitterent, nisi forte
 in illo Concilio causa cujusquam Episco-
 pi ex Sicilia agitata sit, aut negotium
 in Sicilia vel Calabria, præsentis Princi-
 pe fini nequeat.

In hæc nempe verba scripsit Gausfre-
 dus *Malaterra*, illius ætatis & provinciæ
 Auctor, in fine Historiæ suæ de Norman-
 norum exordiis in Sicilia. Refert dein-
 de Urbani Papæ Bullam, in qua Roge-
 rium Comitem laudat in hunc modum:
*Cum tuæ virtuti in acceptis referamus,
 quod Ecclesiæ Dei fines, ejectis e multis
 terris Saracenis, prolati fuerint, fortis-
 sime Princeps, semperque animum Sacra
 Sedi*

*Sedi devotissimum exhibueris, nunc datis Literis confirmamus, quod antea verbis nos facturos esse promissimus. Te super-
stite, & toto tempore, quo Simox filius vel alius Hæres tuus legitimus vita fru-
turus est, nullum Ecclesiæ Romanæ Lega-
tum in Ditionis tuæ terras præter tuam
voluntatem mittemus. Sed potius tu ipse
age, quod nos per Legatum nostrum actu-
ri essemus, etiamsi ex Clericis nostris ali-
quem ad te mitti Salus Ecclesiarum, pote-
stati tuæ subiectarum, & Sacræ Sedis ho-
nor exposceret. Si Concilium celebra-
ndum sit, & per literas petierimus, ut Epi-
scopos Abbatesque Ditionis tuæ ad nos mit-
tas, proficisci jube, quos tuo arbitrio dele-
geris, & ceteros, qui interim Ministerio
Ecclesiarum incumbant, retine. Hæc
Bulla Salerni, quinta Julii, anno Pontifi-
catus Urbani undecimo, Salutis millesi-
mo nonagesimo octavo, data est. Vi
ejusdem Bullæ Siculi dicunt, Regem
suum prærogativa Legati Nati Sacræ Se-
dis decoratum fuisse, atque hoc Jus, Si-
ciliæ Monarchiam, appellant. At recla-
mat Aula Romana, affirmatque, hanc
Bullam, si tamen genuina est, postmo-
dum fuisse retractatam.*

Sæculum XI.
A.C. 1098.

Baron. an.
1097. edit.
Rom. Epit.
Spond. ib.

§. LVI.

Concilium Schismaticorum.

Inter hæc Romæ Schismatici, celebrato
Con-

Sæculum XI.

A.C. 1098.

*Fast. rer. eccl.
pet. fol. 43.*

Concilio, quamquam Guibertus abesset, qui tunc in Longobardia degebat, Epistolam Synodalem publice ediderunt, in cuius fronte occurrunt Cardinales octo, Episcopi quatuor, & Presbyteri quatuor. Præ ceteris noti sunt Hugo Candidus, Episcopus Prænестinus, & Benno Presbyter. Epistola autem ad omnes, Deum timentes, & Salutem Romanæ Reipublicæ amantes dirigitur, in hæc verba: *Quod vos neutiquam ignorare credimus, ad novas Hæreses ab Hildebrando invecctas, aut alias, quas ipse recoxit, extinguendas, atque ad impietatem eorum exterminandam, qui nuper Fidem Catholicam violare non exhorruerunt, quinta hujus mensis in Basilica S. Basilii, sexta die in Basilica S. Celsi, & septima ad S. Mariam in ROTUNDA in Dei omnipotentis nomine congregati sumus; ubi Patrum nostrorum exempla secuti has Hæreses atque earum Sectatores damnavimus, ne si taceremus, consentire videremur. Nihilominus illos, qui cum auctoribus errorum istorum communicant, ad nos vocamus, fidem publicam, qua freti veniant & tuto redeant, damus, & hortamur, ut ex ipsis præcipuos nobilem virum Rainerium, ac Joannem Burgundionem ad dicendam causam suam deligant. Præterea promittimus, quantum in nobis operæ est, eos, etiamsi forte condemnati sint, usque ad Festum Sanctorum*

•omnium

omnium de quacunque pœna securos fore. Sæculum XI.
A. C. 1098.
 Non enim sanguinem humanum sitimus, sed credimus illos fateri, se peccasse, qui seditiones commovent. Pacem, veritatem, & Ecclesiæ concordiam unice quarimus. Huic epistolæ subscriptum est: Datum in Concilio Romano contra Schismaticos, septima Augusti, anno millesimo nonagesimo nono. Verum, istud molimen Guibertinis nihil profuit, Catholicis ultimos ejulatus expirantis factionis contemnentibus.

§. LVII.

Archiepiscopatus Lundensis.

Sub idem tempus cum Liemarum Archiepiscopus Hamburgensis Erico I. Regi Daniæ, cognomento *Eigotb*, id est, *Saxo Gram.* Bono, levibus ductus suspicionibus *Ex-l. 12. p. 204.* communicationis Censuram minatus fu- *Hist. Gent.* *Dan. ap.* *Lindembr.* *p. 300.* *Pontan. l. 5.* *p. 202.* *ut hoc* *judicio victor redierit.* Ut vero futurorum jurgiorum occasionem tolleret, Romam secundo profectus, Jurisdictioni hujus Præfulis, externi, & Schismatici, nempe tunc Henrici Imperatoris partibus addicti, subtrahi petiit. Concessit Urbanus Papa Erico Regi, quod optabat, tum spectata ipsius Dignitate, tum etiam tam longi itineris suscepti

Sæculum XI. sepi labore, promisitque, se in Regno
A. C. 1098. ejus Sedem Archiepiscopalem erectu-
 rum esse.

Elapsis exinde aliquot annis, cum Ericus suorum Equitum quatuor improvise occidisset, voto se obstrinxit, in poenam criminis Jerosolymam proficiscendi. Erat vero Ericus populo suo tam carus, ut tertiam Bonorum suorum partem ad impetrandam in hoc voto dispensationem se daturum polliceretur. Sed Rex a proposito dimoveri non potuit, & priusquam viæ se daret, Legatos Romam misit, qui Archiepiscopatum, dum ipse abesset, condi curarent. Ceterum Rex Ericus in illo itinere vita functus est in Insula Cypro anno millesimo centesimo primo, & post duos exinde annos sub Rege Nicolao, Erici fratre, Paschalis II. Papa, quod de novo Archiepiscopatu statutum fuerat, exsecutus est. Is enim Legatum misit, qui postquam præcipuarum in Dania urbium situm & opes cognovisset, Lundim * totius Regni Caput elegit, cui Ecclesiæ Metropolitanæ Dignitas obtingeret, tum quod Ascer seu Atzer Lundensium Episcopus, vir esset de Ecclesia optime meritus, tum quod nulla alia civitas commodiorem situm nacta esset, quam nempe, ad ostia cujusdam fluminis in Scania positam, omnes vicinæ nationes terra marique facile adire possent.

Itaque

* Urbs Sue-
 ciae in Scania est.

Itaque urbs Lundensis anno millesimo centesimo tertio Sedes Archiepiscopalis constituitur, & non solum Jurisdictioni Ecclesiæ Hamburgensis subducitur, sed etiam tribus Regnis Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ Metropolis datur.

§. LVIII.

Antiochia capta.

In Oriente Antiochia, cum obsidio septem mensibus tenuisset, prodicione in Latinorum potestatem redacta est. Ante quatuordecim non plus annos Turcæ hanc urbem expugnaverant; hinc adhuc in ea degebant plurimi Christiani, Græci, Syri, Armeni, quibus omnibus Turcæ arma detraxerant, sed mercaturæ & variarum artium lucrum concedebant. Cum ex his Christianis aliquis *Emir-Feir* seu *Pir*, ut ut Apostata, cum Bœmundo consilia communicare cœpisset, promisit se quamdam turrim, quæ in ipsius erat potestate, traditurum, si modo ipsi fides daretur, quod ceteri Christianorum Duces soli Bœmundo urbis Principatum oblaturi essent. Bœmundus, convocatis Ducibus, refert Apostatæ consilium, consentiant omnes, solo Comite Tolosano refragante, & tandem destinata exsequuntur, turris deditur, Christiani Antiochiam intrant, & nobilissimam urbem Feria V. tertia die Junii.

Sæculum XI.
A. C. 1098.

Guil. V. c.
11. 12.

c. 13. 17.

c. 21. 22.

Hist. Eccles. Tom. XV. G g g nii,

Sæculum XI. nii, anno millesimo nonagesimo octavo
 A.C. 1098. subigunt.

Lib. VI. c. 7. At Turcæ etiamnum arcem infide-
 bant, & elapsa triduo ingens eorum exer-
 citus ad moenia civitatis pervenit fratri-
 bus suis auxilia præstiturus. Sic mira
 rerum vicissitudine Cruciatu Victores in
 urbe paulo ante obsessa obsidebantur;
 cum vero intra brevissimum temporis
 spatium cõmmeatus subvehi non potuis-
 sent, diram sentientes famem equos ca-
 melosque cædere aggressi sunt. In illis
 angustiis Stephanus Comes Carnotensis,
 relicto Cruciatorum exercitu in Græ-
 ciam rediit, ubi Alexium Græcorum Im-
 peratorem, copias ducentem, ut labo-
 rantibus Antiochiæ Christianis succur-
 reret, a proposito dimovit, vadem se
 dans, serum fore, recepta a Turcis urbe,
 auxilium. Qua re comperta Infideles
 accensi tam acriter instabant obsessis, ut
 desperatio subiret, militibus imperata
 facere detrectantibus, & Ducibus me-
 ditantibus fugam.

c. 10.
c. 13.
 Jamque diebus omnino viginti sex
 Cruciatos foris hostis, & intus fames pre-
 mebant, cum quidam Clericus Provin-
 cialis *, cui nomen Petrus *Bartbelemi*,
 Episcopum Aniciensem & Comitem To-
 losanum adiit, affirmans, quod S. Andreas
 sibi per somnum conspicuus ter præce-
 pissent; Principibus Christianorum ape-
 riret,

* de Pro-
 vance.

riret, Lanceam, qua Domini nostri latus percussum fuisset, in Ecclesia S. Petri defossam jacere, & locum indicasset, quod ea inveniri deberet. Addebat, sibi, mandatum istud in se suscipere recusanti, S. Andream mortem denunciasset, nisi obediret. Episcopus & Comes re ista ad Principes ceteros secreto delata, Petrum in eorum conspectum adducunt, qui cum persuasisset, omnes in Ecclesiam se conferunt, & terra in loco, quem Clericus indicaverat, alte effossa, lanceam inveniunt. Portentum inexpectatum populo Christiano solatium & spem suggestit, omnibus rediit animus, novoque Sacramento se obligarunt, si eos Deus e presenti periculo eriperet, a nulla re se a Sacris commilitonibus suis abstrahi passuros, donec Ierosolymam expugnassent, & Sanctum Sepulchrum in libertatem asseruissent. Tum vero collectis ultimis viribus in Turcas inveci profligant incautos, & castris receptis præda immensa potiuntur. Hanc victoriam Cruciatum anno millesimo nonagesimo octavo vigesima octava Junii de Infidelibus reportarunt.

Ita Civitate Antiochena a Turcarum jugo liberata, & reducta tranquillitate Episcopus Aniciensis ceterique Præsules Cruciatum nihil antiquius habuerunt, quam Divinum Officium cultumque restituere.

G g 2

Inpri-

Sæculum XI.
A C. 1098.c. 14.
Sacra Lan-
cea.

c. 19. 20.

Sæculum XI. A.C. 1098. Inprimis Ecclesiam Magnam S. Petro Sacram ceterasque, ab Infidelibus profanatas & deturpatas, emundarunt & repararunt. Nam aliqua Christianorum templa in stabula jumentorum converterant, aliisque indigne abusi fuerant. Sacras Imagines deleverant, injecto cœno obtexerant, oculos effoderant, parietes, in quibus depictæ erant, scalpserant. Tum etiam de præda aurum argentumque ad fabricandos Calices, Cruces, candelabra, aliamque Sacram suppellectilem, ac pannos sericos ad vestes consuendas delegerunt. Clerici muneri suo restituti, atque census congrui additi. Joannes Patriarcha, quem Turcæ, postquam Christiani militem urbi admovissent, vinculis constrictum crudeliter habuerant, iterum in Sede sua honorifice collocatus est, quo Superstite Episcopi Patriarcham alterum Latini Ritus Sedi Antiochenæ dare noluerunt, ne duo Episcopi uni Ecclesiæ contra Canones præficerentur. (*) Verum duobus ferme annis exactis, cum intelligeret Patriarcha, se Græcum Fidelibus, Latinum Ritum sequentibus, neutiquam, ut oporteret, prodesse posse, sponte Constantinopolim se recepit. Ipso munus

(*) Ex hoc loco iterum Communio Ecclesiarum Orientalium & Occidentalium contra Protestantem probatur.

munus abdicante, Clerici populusque Antiochenus Bernardum Episcopum Artanum ex Epiro, qui in bello Sacro Episcopum Aniciensem, ut Capellanus, comitabatur, Patriarcham elegerunt. Tum Antiochia potiti Christiani in urbibus propinquis, Ecclesias Cathedrales habentibus, Episcopos constituerunt; Jurisdictio vero Sæcularis cum Principis titulo Bœmundo tradita est.

Sæculum XI.
A. C. 1098.

Capta Antiochia, illico funesta quædam contagio grassari cœpit, atque præter alios Legatum Pontificium, Ademarum Episcopum Aniciensem, humanis rebus eripuit, ingenti apud omnes sui desiderio relicto. Clamabant Cruciatî, abjecta omni mora, Jerosolymam movendum esse; at Principibus visum, necessariam militibus esse quietem, & profectionem ad mensem Octobrem distulerunt. Interim ad Pontificem epistolam dederunt, in cujus initio primus nominatur Bœmundus, tum Comes Tolosanus, Dux Godefridus, Dux Normanniæ, Comes Flandriæ, & Comes Bononiæ. Narrant expugnatam fuisse a se Antiochiam, se ipsos deinde obsessos, inventa Sacra Lancea liberatos, & tandem Episcopum Aniciensem prima die Augusti mortem oppetiisse. Quare rogant Papam; veniret, & se ipsum belli Sacri Ducem præberet, in illa urbe, in qua Christiano-

Lib. VII.
c. 1. 2.

Miscell. Ba-
luz. tom. I.

p. 415.
Epistola Cru-
ciatorum ad
Papam.

Sæculum XI. stianorum nomen primo audiri cœpisset,
 A.C. 1098. & S. Petrus primo Cathedram suam po-

suisset. Addebant: *Nos equidem Turcas
 & Infideles vicimus, tuum jam est, Hæreticos,
 Græcos, Armenos, Syros, Jacobitas debellare. Veni, te ducente, Jerosoly-*

nam procedemus. Queruntur deinde, quod Papa quibusdam votum peregrinandi in Orientem relaxaret, & edocent, Imperatorem Constantinopolitanum ea, quæ promisisset, non præstitisse. Hæc Epistola undecima Septembris data est. At Papæ Legato defuncto, Episcopo Aniciensi, alium, scilicet Daibertum Archiepiscopum Pisanum, sufficere satis fuit.

Bertold.
 1098.

Haud multo post tempore non nulli
Guil. VII. dubitare cœperunt, an genuina esset Sancta Lancea, quæ Antiochiæ inventa dicebatur, compluribus affirmantibus, fabulam esse, quam homines lucri cupidi, Comite Tolosano auctore, commenti essent. Hanc suspicionem primus aliis suggesserat Arnulphus, Ducis Normanniæ Capellanus, vir doctus quidem, sed corruptis moribus, & susurro jurgiis ferendis aptissimus. Cum diu multumque hac de re disputaretur, Petrus *Barthelemi*, qui id sibi a Cœlo revelatum dicebat, petiit, ut per probationem ignis se a suspitione mendacii purgare liceret. Ergo terribilis rogos accenditur, omnis populus in die Parasceves, octava Aprilis,

lis, anno millesimo nonagesimo nono, ad Sæculum XI.
A.C. 1098.
spectaculum concurrat. Ceterum quamquam Petrus *Barthelemi* Clericali ordine initiatus esset, literis tamen leviter tinctus & admodum simplex videbatur. Is igitur, postquam orasset, accepta Sacra Lancea per flammam transiit, ex quibus eum salvum & incolumem emeruisse populus credidit. Verum post paucos dies mortuus est, etsi ante illam probationem firma valetudine frueretur. Dixere nonnulli, inde Petro necem fuisse conscitam, quod devotissimus populus ex rogo egredientem tanto impetu compresserit, ut animam eliserit. Tandem hæc Probatio litem nullatenus diremit, sed multo magis quam prius dubitatum, an Lancea, Antiochiæ inventa, illa fuerit, quæ Jesu Christi latus transfixit.

§. LIX.

Concilium Barense.

Urbanus Papa mense Octobri anno millesimo nonagesimo octavo, tempore quo denunciaverat, Concilium Barense celebravit. Interfuere Episcopi centum octoginta tres, quos inter Edmer. 2.
Novor. S. Anselmus sedit, omnes induti trabeis, excepto Papa, quam Casula & Pallium superimpositum ornabant. Græci Quæ Lupusc.
Procosp. stionem de Processione Spiritus Sancti in medium attulerunt, probare conantes ex 1099.

G g 4 Evan-

Sæculum XI. Evangelio, quod a solo Patre procedat.
A.C. 1098. Objecit Papa complura argumenta, &
 non nulla ex Tractatu de Incarnatione,
 ab Anselmo olim sibi misso. Sed Græcis
 acrius instantibus, silentio imperato, ela-
 ta voce, *Anselme, Anglorum Archiepi-
 scope,* inquit, *Pater noster & Magister!*
ubi es? Anselmus in pedes se erexit di-
 cens: *Adsum, Sancte Pater, quid me ju-
 bes?* Papa eum accedere & penes se se-
 dere voluit, cunctis mirantibus & quis
 esset, perecontantibus. Tumultu utcun-
 que cessante, Papa publice exposuit,
 quantæ pietatis, quantæ scientiæ & fa-
 cundiæ, vir esset Anselmus, & quam in-
 juste ex patria sua expulsus. Quamvis
 vero Anselmus statim Græcis respondere
 non dubitasset, visum est, rem in poste-
 ram diem differre. Qua deinde hanc
 quæstionem tanta emphasi & tam diser-
 te pertractavit, ut alii ex auditoribus
 viri fidem, alii scientiam, omnes eloquen-
 tiam laudarent. (*) Tandem in eos, qui
 nega-

(*) Sensus hujus Sermonis Anselmus poste-
 riore tempore luculenter digressit in Libro de
 Processione Spiritus Sancti composito, in cujus
 Capite XXVI. in fine addit: *Dicimus etiam,*
quia satis illam processionem a Filio Divina au-
thoritas affirmat, cum illa asserit, unde probatur,
& nullo modo aliquid significat, unde negat-
ur.

negarent, S. Spiritum a Patre Filioque Sæculum XI.
A.C. 1098.
procedere, excommunicationis fulmen
emissum.

Tum in Concilio Barenfi de Rege Anglorum sermo fuit. Proferuntur in medium complurima scelera, præsertim Simonia & Ecclesiarum oppressio, in quæ vicia Pontifex vehementer invecus est, adjiciens, quanta sub eo Rege Anselmus perpeffus fuerit, & tandem eundem Principem sæpius a se frustra fuisse admonitum. Sententiam Episcoporum deinde exquirenti responderunt: *Si eum, Sancte Pater, ter vocasti, jam nihil superest, quam ut anathemate feriatur, usque ad emendationem.* Consentiente Papa Anselmus, qui hætenus inclinato capite tacitus federat, genibus Papæ affusus, tandem obtinuit, ne excommunicationis censuram in Regem pronunciaret. Hæc res Archiepiscopo non mediocrem apud cunctos videntes peperit gratiam, quod illi oraret veniam, a quo tantam acceperat contumeliam. Anselmus deinde argumenta in illo Concilio contra Græcos adhibita, Scripto Libro de Processione Spiritus Sancti, perpetuæ memoriæ posteritatis commendavit.

Concilio Barenfi finito, & Anselmo cum Papa Romam reverso, nuncius in Angliam ab Anselmo missus rediit, referens, Regem equidem Papæ epistolam

Sæculum XI. solvisse, sed alteram Anselmi recipere
 A C. 1098. noluisse. Cumque cognovisset, quod
 nuncius, qui eas attulisset, ex famulis
 Anselmi esset, jurasse, se ex hominis
 temerarii fronte oculos eruturum, nisi
 ex ipsius Regno velocissime facefferet.
 Elapsis vero aliquot diebus, ex quo Papa
 Romam pervenerat, alius adest a Rege
 Angliæ nuncius, responsorias ad Papam
 deferens; quas cum traderet, Rex, Do-
 minus meus, inquit, obstupuit, quomodo in
 mentem tibi venire potuerit, ut Anselmi
 Bona ei restitui peteres; quasi vero nesci-
 visses, Regem ad Præsulem, ex Regno di-
 scedere volentem, diserte dixisse, se, si ipse
 abiret, totum Archiepiscopatum occupatu-
 rum. Anselmus vero spretis Regis minis
 ex Anglia solvit. Quæsit Papa: An
 præterea Rex Anselmum cujusquam deli-
 cti accusat? & nuncio respondente: Nul-
 lius præterea, quod sciam. Reposuit: In-
 audita profecto hæc agendi ratio est! Rex
 tuus Primatem Regni sui rebus omnibus
 spoliavit, nullam aliam ob causam, quam
 quod Ecclesiam Romanam, communem
 omnium Christianorum Matrem, adire,
 id est, officio suo non deesse voluerit. Et
 tu, mi Bone, tantum terrarum marisque
 spatium emensus es, ut hujuscemodi re-
 sponsum ad nos deferres. Redi ocius ad
 Dominum tuum, cui nomine nostro dicas;
 restituat Anselmum in omnia Bona, nisi
 excom-

excommunicationis fulmen in se intortum Sæculum XI.
experiri velit, nobisque, ante Concilium, A.C. 1098.
quod in Urbe tertia post Pascha Septimana
celebraturi sumus, per nuncios, quid sta-
tuerit, indicari jubeat.

At Regis legatus petiit, ut priusquam rediret, in conspectum Papæ secreto admitteretur. Diutius vero Romæ hæsit, & ingentem auri vim profundens complures in Domini sui partes pertraxit. Unde Papa, remissius rem tractans Regi Angliæ inducias usque ad Festum S. Michaelis anni sequentis concessit; tunc autem Festa Natalis Domini agebantur. Anselmus parum auxilii a futuro Concilio sibi sperans, Lugdunum redire statuit; sed vetuit Papa. Mansit ergo Romæ, maximam temporis partem cum Pontifice versatus, qui ad ejus conclaye familiariter accedebat, omnique honoris genere hospitem prosequabatur. In quacunque collatione, in precibus publicis, in Cæremoniis nulli nisi soli Papæ secundus erat Anselmus, quem amabant omnes, atque etiam Schismatici honorabant, nihilo propterea minus humilem, aut omnibus submissum.

vit. n. 49.

§. LX.

Ivo Carnotensis objecta diluit.

Cum Ivo Carnotensis comperisset, se offensum habere Pontificem, & nulla

Sæculum XI.
A.C. 1098.

ep. 60.
Sup. S. 43.

ep. 67.

la sua, anno millesimo nonagesimo septimo ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem in causa Daimberti, cum Archiepiscopus Senonensis eligeretur, data, scripsit Summo Pontifici in hunc sensum; Se equidem, illam epistolam relegendem, nihil invenire, quæ Ecclesiæ Romanæ adversarentur, complura vero, quæ eidem faverent. *Non enim, inquit, scribenti mihi alia mens aliudve consilium fuit, quam ut quærelis, ad aures meas quotidie pervenientibus, remedium quærerem, & te per Archiepiscopum illum, consiliorum tuorum conscium, moneri curarem, ut Decreta in lucem edenda cum Legatis tuis mature penses; ne Ecclesiæ oneri sint; sed si promulgata fuerint, transgressores puniantur, severitatis exemplo alii deterreantur, sicque Pontificis Romani fama & auctoritas salva conservetur. Hisce epistolam meam ab omni errore satis purgari existimo. Sed nempe, Archiepiscopus, cum ei aliqua, præcipue de Primatu Lugdunensi dicta, displicerent, pro nibilo habens, quod bona fide cuncta scripserim, te in suam sententiam pertrahere conatus est. At liceat mihi, Sancte Pater, quæ mens suggerit, candide proferre; non arbitror, Episcoporum quemquam citra montes degere, cui plures quam mihi contumeliæ & opprobria ideo devoranda fuerint, quod tibi*

tibi fidelis extiterim & mandata tua ser- Sæculum XI.
vari curaverim. A.C. 1098.

Quia vero illa verba animum tuum ir-
ritarunt, meum non est tecum contende-
re; malo Episcopatum abjicere, quam te
sive bene, sive male indignante, tantum
onus sustinere. Si hæc satisfactio tibi
placet, accipe; si culpa mea minorem exi-
stimas, pœnam adice. Forte humilita-
tis exemplo, cum privatorum more vivam,
plus emolumentum Ecclesiæ, quam ut Epi-
scopus prædicatione afferam. Septem an-
ni consumpti sunt, ex quo vineam mihi
commissam excolo, sine fructu; liberta-
tem mihi dona anno octavo. Quod si per
te renunciare non liceat, necessitate tamen
coactus cedam; nam insensum mihi Regem
sentio ob veterem causam (scilicet Philip-
pus Rex Bertradam pellicem revocave-
rat) abigunt Episcopum suum Diœcesani
mei, quos sacrilegiorum in Ecclesiis ad-
missorum reos nec timor Dei, nec excom-
municationis probrum ad pœnitentiam &
Justitiæ amorem compellere possunt.

§. LXI.

Joannes II. Episcopus Aurelianensis.

Ivo Carnotensis epistolam suam ad Pa-
pam prosequitur in hunc modum:
Quidquid vero de me Superi decernant,
per Jesu Christi charitatem te obtestor!
si Archiepiscopus Turonensis, aut aliqui
ex

Sæculum XI. ex Clericis Ecclesiæ Aurelianensis ad reci-
A. C. 1099. piendum illum juvenem, quem elegerunt,
 animum tuum sollicitent, supplices repelle.
 Est ille juvenis publica ignominia notatus,
 per omnes Franciæ urbes pudenda fabula,
 ob commercii, quod verecundia nominare
 me non finit, cum Archiepiscopo Turonen-
 si, defuncto ejusdem fratre, pluribusque
 aliis perditæ vitæ hominibus, consuetudi-
 nem. Cumque non nulli petulantis licen-
 tiæ socii in eum carminibus lusissent, quæ
 deinde corrupta juvenis in plateis & fo-
 ris decantabat, ipsum infamiam suam non
 modo audire, sed etiam proprio ore canere
 non puduit. Hujuscemodi versuum exem-
 plar, ad demonstrandum, vera esse, quæ
 profero, Archiepiscopo Lugdunensi misi.
 Cave ergo, ne juvenis iste consecretur, si-
 tuus & Ecclesiæ Catholicæ honor tibi cu-
 ræ est. Illud quoque scias, Archiepisco-
 pum Turonensem in Natali Domini, spre-
 to Legati tui præcepto, Regem coronasse,
 in cujus obsequii premium obtinuit, ut
 exoletus ille ad Episcopatus fastigium eve-
 beretur. Hæc epistola Ivonis Carnoten-
 sis ad Urbanum Papam ultima est, &
 anno millesimo nonagesimo nono ineun-
 te scripta videtur.

Porro Juvenis ille, ad regendam Ec-
 clesiam Aurelianensem electus, erat Jo-
 annes Archidiaconus, quem Archiepisco-
 pus Turonensis jam anno millesimo no-
 nagesi-

nagesimo sexto in hanc Sedem immitte-
re cupiebat. Sanctioni, qui tunc cete-
ris omnibus prælatus est, haud multo
plus biennio sedere licuit, moxque Joannes,
Regis auctoritate, in Festo Innocen-
tium, vigesima octava Decembris anno
millesimo nonagesimo octavo electus.

Sæculum XI.
A.C. 1099.

Sup. §. 38.

ep. 66.

Quod cognoscimus tam ex epistola Ivo-
nis Carnotensis ad Papam, quam ex aliis
ad Archiepiscopum Lugdunensem datis,
in quibus de Archiepiscopo Turonensi
dicit: *Quia duos Episcopatus occupare
non potest, Ecclesie Aurelianensi per
alium a se subornatum dominari in eaque
illos premere vel evebere, quos lubebit, cu-
pit. Eo enim non contentus, quod ipse
in Ecclesia sua, quam contra Canones in-
vasit, toleretur, etiam Ecclesiam Dei, cui
vult, prostituit, cum eligentium oculos
speciosis sermonibus & promissis fascinat,
dicere solitus, nullatenus sibi opus esse bo-
nis Clericis aut Constitutionibus Ecclesia-
sticis, cui marsupium auro plenum suffice-
ret. Denique, quodcumque lubet, sibi li-
cere putat, & facit. Nec ideo Sanctio-
nem deponi usque adeo exoptavit, ut eo me-
liorem Episcopum subrogaret, sed homi-
nem sibi omnino obnoxium, qualis iste Jo-
annes est, qui ipsum ut discipulus Magi-
strum reveretur & pertimescit, qui coram
eo nec sedere nec stare, nisi jusserit, au-
det.*

Eum

Sæculum XI.

A.C. 1099.

Epistolæ
Ivonis Car-
notensis.

*Eum mihi cum epistolis Regis & Ca-
pituli Cathedralis obtulerunt, quem Pres-
byterum tum etiam Episcopum consecra-
rem. Sed necdum vel rejeci vel recepi
hanc electionem, quam nunquam recipiam,
nisi ad id faciendum vel Papæ, vel tuis
mandatis compellar. Scio enim bujus bo-
minis Ordinationem Ecclesiæ non solum
probrosam, sed etiam perniciosam futu-
ram esse, quia tali Salus aliorum commit-
tetur, cui nulla cura fuit propria. Per
hunc ergo nuncium mihi significa, quid
respondere Aurelianensibus debeam, blan-
dientibus sibi, te hunc electionem confir-
maturum esse. Quidquid autem facturus
sis, ego liberavi conscientiam meam. Mul-
ti equidem Aureliani eorum, quæ affirmo,
testes suppeterent, nisi vel exilium vel vin-
cula metuerent. Ne vero putes, me ea
fuisse commentum, mitto tibi cantilenam,
quæ publice recitatur.*

*Illud quoque te non ignorare oportet.
Abbas Burgeliacensis circa Festum Nata-
lis Domini ad Regiam venerat, ingenti fi-
ducia, Episcopatum Aurelianensem, quem
ipsi Regina adultera promiserat, acceptu-
rus; quia vero Archidiaconi amici plu-
res, quam quisquam alius, crumenas auro
turgentes attulerant, Abbate repulso, Jo-
annes admissus est. Abbati deinde conque-
renti, quod ipsi Rex illusisset, respondit
Rex: expecta, donec de hac electione lu-
crum*

crum percepero, postea cura istum deponi, & tunc faciam, quod petis.

Sæculum XI.

A. C. 1099.

ep. 68.

Aliam præterea epistolam Ivo Carnotensis ad Archiepiscopum Lugdunensem dedit in hunc modum scriptam: *Me vocas, & quoscunque alios, qui Electionem Joannis, Archidiaconi Aurelianensis, impugnare voluerint, ut coram te prima die Martii in Judicio stemus, dicis, que te simul Actorem & Judicem esse non posse. At non ignoras, huic Regulæ tunc solummodo locum esse, cum agitur de delictis occultis, in manifestis autem Accusatore opus non esse.* Qua de re Scriptorum testimonia affert. Tum ad Accusationem de Simonia transiens, *Sunt in civitate nostra Quæstores, inquit, adulteræ creditores, qui nobis dixerunt, expectare se partem pecuniæ, quam Joannis Propinqui daturus se polliciti essent; Waldradam vero moneve, exsolutionem caute & prudenter differri, quæ post electi consecrationem tutius præstanda esset. At si moræ nectantur, banc pecuniam brevi repetent.* His Ivonis Carnotensis admonitionibus non obstantibus, Joannes, Episcopus Aurelianensis ordinatus, illam Sedem plus annis viginti tenuit; quin etiam satis bene præfuit, quod ex epistolis, quas ad eum Ivo, in variis negotiis Ecclesiarum, subinde dedit, judicare possumus.

Hist. Eccles. Tom. XV. H h h §. LXII.

Sæculum XI.

A. C. 1099.

§. LXII.

Concilium Romanum.

10. 10. p. 615. **U**rbanus Papa Romæ Concilium præstito tempore, scilicet tertia Septimana post Pascha, quod Festum hoc anno millesimo nonagesimo nono in diem decimam Aprilis incidebat, celebravit. Adfuerunt centum quinquaginta Episcopi, quos inter recensentur Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, Daimbertus Senonensis, qui tunc Jus Primatus Ecclesiæ Lugdunensis recepit, Leodegarius Bituricensis, Amatus Burdegalensis, Byzantius Traniensis, Gualterius Episcopus Albanensis, Odo Ostiensis, Guntardus Fundanus, Leutaldus Silvanectensis, Lambertus Attrebatensis, Humbaldus Antifiodorensis, Norgaldus Augustodunensis, Ismeo Diensis, Geofridus Magalonensis. Omnibus in ordine suo sedentibus, quaestio orta est, quo loco Anselmus collocandus esset, quia nemo memoria repetere poterat, aliquando Archiepiscopum Cantuariensem Concilio Romæ habito interfuisse. Ergo Papa ei soli sedem intra orbem confidentium Episcoporum poni iussit, quod maximi honoris signum fuit.

Supersunt octodecim hujus Concilii Canones, quorum undecim priores ejusdem de verbo ad verbum tenoris sunt,

Bertold. an.
1099.*Edmer. 2.*
Novor. n. 40.

ac primi duodecim in Concilio Placentino, anno millesimo nonagesimo quinto, celebrato conditi, spectantque ad Ordinationes Simoniacorum & Schismaticorum, jam prius, auctore Papa, in Concilio Claromontano & sequentibus confirmati. In isto Concilio Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Præpositis iterum prohibetur, ne de manu Laicorum Decimas aut alia Jura Ecclesiastica, sine consensu Episcopi, accipiant. Omnia quæ Simoniam redolent ab Ordinatione Episcoporum absint, ita ut ne quidem Cappas, serica velamina, aut quæcunque munuscula petere liceat. Omnes Fideles omnibus Feriis sextis ad obtinendam remissionem peccatorum suorum, præsertim illorum, quæ in Confessione exponere obliti fuissent, jejunent.

Sedebant autem Patres in Basilica S. Petri, ubi strepitus tot hominum in Concilio præsentium, tum etiam continuo ad orandum ingredientium & egredientium, prohibebat, ne ea, quæ statuebantur, distincte audiri possent. Quare Papa Rengerium, Episcopum Lucensem, vi-
Impetus Episcopi Lucensis.

Impetus Episcopi Lucensis.

re jubet. Paret ille, sed postquam aliqua legisset, derepente voce, gestu, & toto vultu alius lectionem interrumpit,

H h h 2 ac

Sæculum XI.
A.C. 1099.

to. 10. Conc.
p. 503.
Sup. §. 21.

Can. 15. 16.
17.

c. 12. 17. 18.
Chron. Mal-
leac.

Edmer.

Impetus Episcopi Lucensis.

Sæculum XI. ac ad circumstantes conversus, quid agimus? ait, A.C. 1099. mandatis oneramus subiectos nobis populos, & tyrannorum Ecclesiam opprimentium violentiæ, de qua omnes Boni conqueruntur, nihil opponimus. In medio cætu nostro Antistes sedet, ab extremo orbe advena, cujus modestia & silentium omni humana voce fortius vindictam clamant, ob tot mala, quæ innocens sustinuit. Secundo jam anno apud nos versatur, nullo bucusque auxilio recreatus. Si autem necdum intelligitis, de quo mihi sermo sit, Anselmus is est, Archiepiscopus Anglia. Hæc elocutus Episcopus Lucensis ter pedo, quod manu tenebat, percutit pavimento, dentesque & labia comprimens indignationem prodit. Cui Papa: Satis est, Frater mi, satis est, res hæc in primis nobis curis erit. Tum Rengerius reliqua Decreta in Concilio edita legit, & priusquam in loco suo acquiesceret, iterum monuit, Anselmo satisfaciendum esse. Archiepiscopus silebat, admirans impetum viri, cujus consilii omnino exers erat.

Bizantius Archiepiscopus Traniensis vit. S. Nic. cum Cleri sui populique Delegatis ad par. 3. c. 1. Concilium venerat, petiturus, ut S. Nicolaus Peregrinus, annis abhinc quinque mortuus, Sanctis adscriberetur. Cum Archiepiscopus paucis verbis S. Viri vitam,

tam, mortem, & consecuta miracula Con-
 cilio exposuisset, & Episcopi attente au-
 scultassent, omnes Deo gratias dixerunt.
 Tum Pontifici Commentarius omnium
 miraculorum traditur, qui iis avide per-
 lectis, expetito Patrum consilio, respon-
 dit, omnes credere, quæ de Viro Sancto
 referrentur, testimonio tam legitimo fir-
 mata; se Episcopo, quod optabat, con-
 cedere, & rem totam ipsius prudentiæ
 & voluntati committere. Rogavit Ar-
 chiepiscopus, ut ipse Pontifex sententiam
 pronunciaret, obtinuitque Bullam, in qua
 Papa dicebat: *Cum Bizantius Archiepi-
 scopus nos instantissime rogaverit, ut Ve-
 nerabilem Nicolaum, cognomento Peregrin-
 num, Sanctorum Catalogo insereremus, to-
 tum negotium ipsi commisimus, quia ejus-
 dem & virtus & scientia satis explorata
 est. Itaque re mature pensata faciat,
 quod Deo adspirante visum fuerit. Ac-
 ceptis hisce mandatis Archiepiscopus
 Oratorium novum, hujus Sancti honori
 Sacrum, extrui curavit, quo deinde ejus
 Corpus translatum.*

Sub finem Concilii Papa, omnesque
 Episcopi, Excommunicationis Censuram
 in omnes Laicos, Investituram Ecclesia-
 rum dantes, & in omnes Clericos acci-
 pientes, aut tales, qui Investituram ac-
 cepissent, ordinantes, intorserunt. Eo-
 dem

H h h 3 dem

Sæculum XI.
A.C. 1099.

dem anathematis vinculo innodati, qui Laicis pro acceptis Dignitatibus Ecclesiasticis homagium dicerent, *quis enim, inquit Papa, præ borrove non contremiscat, cum videt Sacerdotis, in suprema Dignitate constituti, manus, quibus Creatorem creat, eumque Patri pro Salute totius Mundi offert, ad eam infamiam deprimi, ut manibus nunquam non turpissimarum rerum contactu, rapinis, & crude humano, inquinatis subjiciantur?* Exclamarunt omnes: *Amen! Amen!* atque ita Concilium solutum est.

§. LXIII.

S. Joannes Episcopus Teruanensis.

vit. c. 1. 2.
ap Boll. 27.
Jan. to. 2.
p. 796.

In eodem Concilio Romano Electio Joannis, Archidiaconi Attrebatensis, ad Episcopatum Teruanensem confirmata. Joannes, Wastenæ oppido inter Iperam & Insulam posito natus, Lamberto Ultrajectensi, & Ivoni, postmodum Episcopo Carnotensi, erudiendus traditus est. Tum Canonicus Sæcularis ad S. Petrum Insulæ, & exinde Canonicus Regularis in Monte S. Eligii prope Attrebatum fuit; unde eum Episcopus Lambertus evocatum sibi in munere Episcopali operam jungere jussit, atque Archidiaconum suum creavit, cum duobus aliis, qui etiam ambo ad fastigium Episcopale, nempe

pe Clarembaldus Silvanecti, & Robertus post Lambertum Attrebatum, pervenerunt. Joannes ægerrime munus Archidiaconi subiit, quo suscepto non modo, quæ Antecessorum ejus culpa fuerat, Clericos novis exactionibus non vexavit, sed etiam impositas sustulit.

Ex quo Drogo Episcopus Ternuanensis anno millesimo septuagesimo nono e vivis abierat, Ecclesiam illam foris Comes Flandriæ aliique Principes vexaverant, intus vero corruptissimi hominum mores afflixerant. Hubertus Drogonis

Successor, Hæresis convictus, & nihilominus data pecunia Episcopus ordinatus, cum ab inimicis suis gravi vulnere fuisset affectus, ad S. Bertini Cænobium se recipiens monachum induit. Lambertus

postmodum, cui favebat Comes Flandriæ, Episcopatum vi adhibita inyasit, Ecclesiæ portas effregit, Clericos cum ipso

communicare recusantes in fugam egit. Sed postquam illam Sedem annis duobus occupasset, lingua ei exsecatur, dexteræ manus digiti amputantur, ejicitur, eique

Gerardus subrogatur, quem Clerici elegerant, & populus expetierat. Quia vero ad obtinendum Regis consensum magnam pecuniæ vim dedit, exhaustis facultatibus, Præbendas venundedit, Bona Ecclesiæ alienavit, nec tamen pau-

H h h 4 perta-

Sæculum XI.
A. C. 1099.

c. 3.

Greg. VII.
lib. VII. ep.
61.

Greg. ep.
XXXIV.

Greg. ep. 30.
IX. ep. 1.

Sæculum XI. A. C 1099 pertatem abigere potuit. Gerardus, anno Episcopatus sui decimo quinto, coram Urbano Papa Simoniam accusatus, cum se purgare nequiret, relicta Ecclesia sua, ad montem S. Eligii se contulit, ubi reliquos vitæ dies in pace consumpsit.

Tunc vero Ecclesiæ Teruanensis Res multo magis perturbatæ sunt. Nam Archidiaconi quidem cum Clericis Cathedralibus Archambaldum S. Audomari Canonicum elegerunt; quia vero is fortius resistebat, quam eum eligentes expetebant, facile irrita effecta est illa electio. Tum elegerunt Aubertum, Canonicum Ambianensem, brevi abhinc tempore etiam Ecclesiæ Teruanensis Canonicum, sed contra Canones, qui Clericum in duabus Ecclesiis Titulum habere vetant. Hinc Abbates, amore Disciplina Ecclesiasticæ ducti, Joannem Archidiaconum Attrebatensem, cujus merita omnibus erant perspecta, Episcopum cooptarunt, Laicis lubenti animo consentientibus. Reclamantibus autem Clericis Cathedralibus & priorem electionem defendere conantibus, qui Joanni favebant ad Papam appellarunt, tempore Concilii Romani, in quo electio Auberti nulla est declarata, Joannis vero, viri exploratæ virtutis, confirmata.

Time-

Timebant autem Joannis amici, ne ^{Sæculum XI.} fugeret; idcirco, ipso inscio, nuncios ^{A.C. 1099.} Romam miserant, & Papa in literis, quibus ejus electionem confirmabat, districte præcipiebat, ne oneri se subtraheret. Redditæ sunt ei Papales literæ nihil minus quam Episcopatum cogitanti; quæ res virum usque adeo afflixit, ut mortis desiderium subiret; nam maxima obstacula in Regimine hujus Ecclesiæ tam spiritali quam temporali prospiciebat. Tandem vicit obedientiæ virtus, atque quarta Junii anno millesimo nonagesimo nono Presbyteratu initiatus, & decima septima Julii deinde Remis a Manasse Archiepiscopo Episcopus consecratus, vigesima quarta ejusdem mensis Teruanæ in Sede sua solemniter collocatus est, quam postmodum annis plusquam triginta tenuit.

Joannes uno mense, antequam ordinaretur, cuidam Concilio interfuerat, ad S. Audemarum habito, rogante Roberto juniore, Comite Flandriæ, & ejus Proceribus; idque ita accipiendum est, quod Comes priusquam ad Bellum Sacrum proficisceretur, domi hæc mandata dederit. Huic Concilio præfuit Manasses Archiepiscopus Remensis, quatuor Episcopis ex numero Suffraganeorum præsentibus, Balderico Noviomensis, Lambert

H h h 5 berto

Sæculum XI. berto Attrebatensi, Manasse Cameracensi
A.C. 1099. & Joanne Teruanensi. Coram immensa
 Clericorum populique multitudine iterum promulgati sunt quinque Articuli, de Treuga Sacra, jam antehac in quodam Concilio Sueffionensi ab Archiepiscopo Renaldo, presentibus omnibus ejus Suffraganeis, celebrato constituti. In illis Articulis, addita poena excommunicationis, ea confirmantur, quæ in diversis Conciliis ab annis sexaginta de securitate locorum & Personarum Deo Sacrarum, & de induciis certis diebus servandis, decreta fuerant.

§. LXIV.

Cisterciensium Origo.

Præter hæc omnia in Concilio Romano Urbanus Papa, Monachorum Molismensium precibus permotus, Abbatem suum Robertum, qui discesserat, eis redidit; quæ res digna est, ut ab ovo referatur. Monasterium Molismense in Burgundia, Diœcesis Lingonensis, anno millesimo septuagesimo quinto exeunte, fundatum, primum Abbatem habuit Robertum, spectatissimæ in vita monastica & Regimine animarum virtutis virum. Post annos ferme viginti, non nulli monachorum ejus pensantes, monasterii con-

vit. S. Rob.
ap. Boll. 29.
April. to. 11.
p. 663. Exor.
Magn. Ci-
sterc. c. 10.

consuetudines S. Benedicti Regulæ, quam Sæculum XI.
A. C. 1099.
quotidie in Capitulo prælegi audiebant,
& quam se esse servaturos promiserant,
adversari, primum hac de re sermones
conferere, conqueri, quod fidem Deo
datam violarent, & serio his malis reme-
dium quærere cœperunt. At his sermo-
nibus deinde in Congregationem sparsis,
ceteri, qui non simili zelo agebantur, in
hos ludere, & nihil intentatum relinque-
re, quo eos a rerum novarum studio ab-
ducerent. Illi autem, sprete aliorum ca-
villatione, Deum ferventissimis precibus
orabant, ut se in aliquem locum dirige-
ret, in quo integra fide implere possent,
quod voverant.

Tum memores, per Regulam non li-
cere, quidquam sine consensu Abbatis
moliri, Robertum adierunt, qui, dilau-
dato eorum consilio, non auxilium modo,
sed etiam se ipsum pii operis socium fu-
turum esse promisit. Itaque ne sine Præ-
positorum auctoritate quidquam age-
rent, Robertus Abbas cum monachis sex, *Exor. Ci-*
quorum ceteris ferventior erat zelus, *sterc. c. 1.*
Lugdunum ad Hugonem Archiepisco-
pum, Papæ Legatum, profectus, ubi ad
conspectum admissus est, ait; sibi & So-
ciis suis propositum esse, Regulam S. Be-
nedicti ad literam servare, ideoque Le-
gati Pontificii auxilium & Sacræ Sedis
præ-

Sæculum XI
A.C. 1099

c. 2.

præsidium rogare, inprimis autem licentiam ex Molismo abeundi, ubi, quod constituissent, exsequi non possent. Legatus, quod petebant, concessit, datisque in hanc rem literis, eis auctoritate Sacræ Sedis suasit præcepitque, ut in Sancto proposito perseverarent. Ceterum sex monachi, qui Abbatem in hoc itinere comitati sunt, Albericus, Odo, Joannes, Stephanus, Letaldus, & Petrus nominabantur.

Ubi Molismum rediere, delectis strictæ Disciplinæ amantissimis, numero viginti & unus ex monasterio migrantes in quodam loco, qui Latine Cistercium, & lingua Francorum *Cisteaux* dicebatur, in Cistercium. Diocesi Cabilonensi, sedem fixerunt. Erat vero locus ille desertus, silvestris, & sentibus horridus, quinque Leucis Divione distans, quem purgare, structisque ligneis cellulis, incolere cœperunt, Gualterio Episcopo Cabilonensi, & Rainardo Vicecomite Belnensi, in cujus ditione manebant, consentientibus.

Exord.
Magn.
c. 13.

Prima, qua ibi resederunt, dies fuit vigesima prima Martii anno millesimo nonagesimo octavo, Festum S. Benedicti. Archiepiscopus vero Lugdunensis, cognita extrema eorum paupertate, timens, ne in loco sterili sine potentis cujusdam viri favore vivere non possent, datis ad

Odo-

Odonem Ducem Burgundiæ literis, hortatus est, ut indigentibus succurreret, ac Princeps ille, approbans virorum istorum zelum, monasterium, quod ex ligno construere cœperant, suis sumptibus perfecit, omniaque necessaria longo tempore suppeditavit. Quin etiam agros & pecora, munificentia Principe digna, adjecit. Sub idem tempus Episcopus Cabilonensis Roberto Pedum pastorale, ut Abbati, dedit, & Monachos votum suum stabilitatis in isto monasterio, quod Canonice in Abbatiam erectum est, renovari jussit.

Verum haud multum temporis exinde elapsum fuerat, cum Monachi Molisimenses, consentiente Godefrido Abbate suo, qui interim Roberto successerat, Romam petunt, & querelas ad Urbanum II. Papam, in Concilio anno millesimo nonagesimo nono sedentem, deferunt; ex quo Robertus discessisset, eversam propemodum fuisse in suo monasterio Religionem, seque Principibus, aliisque suis vicinis invisos fuisse effectos. Papa cedens eorum importunitati, & suadentibus Episcopis, datis ad Archiepiscopum Lugdunensem literis, Robertum, si posset, ex nova solitudine revocare jussit, & ad monasterium suum remittere, secus solitudinis illius Cultores in pace per-

Sæculum XI.
A. C. 1099.

Sæculum XI. A.C. 1099. permanent, & qui in monasterio degerent, Regulari Disciplinæ se se subicerent. Archiepiscopus Lugdunensis, accepta Summi Pontificis epistola, a Godofrido Abbate & monachis Molismensibus rogatus, quatuor Episcopos, Norgaldum Augustodunensem, Gualterium Cabilonensem, Bertrandum Matisconensem, Pontium Bellicensensem, omnes Suffraganeos suos, Abbates tres, Petrum Tinurtiensensem*, Jarentonem Divionensem, Godofranum Axonensem, & Petrum Papæ a Cubiculis, convocavit, quorum consilio usus, Roberto Episcopo Lingonensi scripsit in hunc modum.

* Tournus.

*Robertum Ecclesiæ Molismensi redde-
re statuimus, ea conditione, ut, priusquam
illuc redeat, Cabilonum se conferat, &
Episcopo Baculum pastoralem, quem accepit,
cum ei obedientiam promisit, ut Abbates
solent, redderet; tum etiam Monachis
novi monasterii obedientiæ sacramentum,
ipsi ut Abbati, præstitum remitteret,
sicut ipsi Episcopus datam fidem relaxaret.
Omnibus illis quoque novi monasterii
fratribus, qui voluerint, Robertum
Molismum redeuntem sequendi potestatem
fecimus, ita tamen ut deinceps utriusque
Monasterii Canobitæ nec se se invitent,
nisi eo modo, quo*

S. Be.

S. Benedictus Fratres noti alterius monasterii suscipere concedit.

Sæculum XI.
A. C. 1099.

Postquam Cabiloni fuerit, Robertum ad te remittimus, quem postliminio Abbatem Molismensem restituas, addita comminatione, si secundo ex animi levitate banc Ecclesiam deseruerit, nullum, Godofrido superstite, Successorem habiturum esse. Quod pertinet ad Oratorium Roberti Abbatis & omnia cetera, quæ de Molismensi monasterio abstulit, precipimus, ut ea Fratribus novi monasterii tribuantur, excepto Breviario, quod ut describere possint, usque ad Festum S. Joannis seruent. Hic primum adnoto, vocem Breviarium ad significandum librum Ecclesiasticum adhiberi.

Istud Archiepiscopi Lugdunensis Decretum effectui datum est. Nam, Roberto Abbate Molisium reverso, Monachi Cistercienses congregati Abbatem sibi elegerunt Albericum, virum literis humanis Divinisque instructum, olim Molismi Priorem, & eodem munere tunc Cistercii fungentem. Is fundandæ novellæ Congregationi maximam operam impenderat, atque etiam contumelias, verbera & carcerem sustinuerat. Abbatia Cisterciensi annis novem & mensibus sex præfuit.

c. 17.

§. LXV.

Sæculum XI.
A.C. 1099.

§. LXV.

Urbani II. obitus.

Geoffr. II. ep. 18. Cum Geofridus, Abbas Vindocinensis, Romæ versaretur, nullum non movit lapidem, ut Ivonem Carnotensem Papæ reconciliaret. In reditu dies quinque apud Hugonem Archiepiscopum Lugduni diversatus comperit, novum Archiepiscopum Senonensem Daimbertum cum hoc Præsule in gratiam redisse, & obedientiam omnem, ut Primate suo, promississe, nulla Ivonis Carnotensis facta mentione. Quin etiam Ivonis epistolæ suo nomine scriptas fuisse negaverat; quare hæc edoctus Geofridus, Ivonis Carnotensis in paucis amicus, inter ipsum & Archiepiscopum Lugdunensem atque Clericos ejus, vehementer ipsi adversantes, concordiam reducere conatus est. Quod ex ejus epistola ad Ivonem data cognoscimus.

Bertold. an. 1099. Post Concilium Romanum anni millesimi nonagesimi noni nihil amplius de Urbano II. literis mandatum reperitur, nisi quod Romæ eodem anno fati functus sit, postquam S. Sedem annis undecim, mensibus quatuor, & diebus octo ad Ecclesiæ clavum sedisset. Guibertus Abbas Novigentinus Urbano Papæ coævus,

Gesta D. per Fr. lib. 2. init.

vus, ad defuncti sepulchrum complura Sæculum XI.
 edita fuisse miracula, memoriæ prodi- A.C. 1099.
 dit. (*)

§. LXVI.

Cruciati Jerosolymæ.

Diebus omnino quindecim, antequam Sup. §. 58.
 Urbanus Papa obdormivisset in Do-
 mino, Cruciatu Jerosolymam expugna-
 runt. Sed rerum seriem repetamus. Ca-
 pta Antiochia, dum alias complures re-
 giones subigunt, Legati ab ipsis in Ægy- Guil. Tyr.
 ptum ad Califam Fatimitam missi redie- VII. c. 19.
 runt, comitantibus illius Principis Ora-
 toribus; is enim fœdera cum Francis
 face-

(*) Natalis Alexander Articulum de Urbano II.
 Papa, ob indictum Bellum Sacrum, seu Crucia-
 tam, celeberrimo, claudit his verbis: *Obiit Ur-
 banus II. Sanctus, doctus, magnanimus Ponti-
 fex quarto Kalendas Aug. Ejus memo-
 ria in Martyrologio Monastico, & apud Philip-
 pum Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui
 Martyrologio Romano non sunt adscripti, cele-
 bratur. Ejus Elogium inculta quidem, sed ve-
 race Musa cecinit Dominico Presbyter in vita
 Mathildis, cujus carminis primi versus sunt:*

Non erat hic Rector tremulus quasi cannula
 vento:

Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.

Hist. Eccles. Tom. XV.

iii

Sæculum XI. A. C. 1099. facere cupiebat, quorum auxilio Turcas, hostes suos, Califæ Bagdatensi fidem fervantes, ex Syria pellere sperabat. Interim vero, Francorum victoriis in rem suam usus, urbem Jerosolymam e potestate Turcarum, qui eandem ante annos triginta octo parentis ipsius imperio subtraxerant, eripuit; tunc ergo Francis significari jubebat; mutata rerum facie, non commissurum se, ut urbis receptæ dominium ad quemquam mortalium transiret, Francis vero se potestatem facere, Sacra loca tuto adeundi, si modo Christiani nunquam plures quam trecenti & inermes urbem intrarent.

Francorum Principes ludere Barbarum, responderunt, nec se ideo ex Europa in Asiam commigrasse, ut ab ipso imperata facerent. Omnes Christianos Cruciatos Jerosolymam ituros, & armatos. Ergo in Palæstinam movet exercitus, & castra ad urbis mœnia septima Junii anno millesimo nonagesimo nono metatur. Ex ingenti multitudine, quæ ex Europa excita Sacræ militiæ nomen dederat, haud plures validi armisque tractandis pares supererant, quam peditum viginti millia, equites mille quingenti. Mahometani autem in urbe quadraginta millium numerum explere dicebantur, optimis armis, & omnis generis com-
meati-

meatibus instructi. Præterea obsessi ad ^{Sæculum XI.}
 quinque sexve milliaria circum urbem ^{A. C. 1099.}
 omnes fontes & cisternas ingesta humo
 compleverant. Nihilominus cum non
 plus quinque septimanis obsidio tenuif-
 set, Cruciatu tanta fortitudine rem ges-
 serunt, ut Jerosolymæ mœnia expugna-
 rent die Veneris, decima quinta Julii,
 hora post meridiem tertia, nempe ut
 omnēs adnotarunt illa die & hora, qua
 JESUS CHRISTUS in Cruce expiravit.

Primus omnium urbem intravit Go-
 defridus Bullionius cum fratre suo Eusta-
 chio, admota turri ex trabibus fabrica-
 ta murum superans. Tum Comes To-
 losanus ex alia parte urbem oppugnans, ^{c. 18. 19. &c.}
 irrupit, eosque secutus est totus exerci-
 tus. Tunc vero Infideles, quotquot oc-
 currebant, trucidantur, oriturque hor-
 renda cædes. Non illi modo, qui in
 plateis occupabantur, occisi, sed etiam
 qui in Mosquitam illo loco, quo olim
 Templum steterat, confugerant, jugula-
 ti. Ibi decem ferme millia hominum
 & in reliquis urbis regionibus totidem
 millia ferro strata. Compita omnia san-
 guine redundabant, victoribus ipsis fati-
 gatis, & suam crudelitatem horrentibus.
 Igitur, postquam Principes urbis securi-
 tati consulissent, abjectis armis, vesti-
 busque sanguinem manantibus, alias ni-

Sæculum XI. A.C. 1099. tidiores induiti, lotis prius manibus, & pedibus nudis inter gemitus & lacrymas Loca Sancta & inprimis Ecclesiam S. Sepulchri adierunt. Obvios se se obtulerunt Clerici & urbis populus, id est, pauci, qui ibi supererant Christiani, Deo pro sua libertate gratias agentes, ac cum Crucibus & Reliquiis procedentes, eosque inter hymnos & Cantica ad Ecclesiam deduxerunt.

Non minus prodigio quam solatio plena res videbatur, Cruciatos conspiciere, ut tenerrima devotione omnia Passionis Dominicæ monumenta & vestigia perquirerent ac oscularentur. Plerique lacrymas non tenebant, alii clamore hilari lætitiæ profitebantur, Gratias Deo agebant omnes, quod ad peregrinationis suæ terminum salvi pervenissent, & laborum suorum fructibus potiri concessum fuisset. Qui cogitationum Spiritualium capaces erant, ex gaudio, quod in possessione Jerosolymæ terrestris percipiebant, infinitam felicitatem illorum metiebantur, quibus Jerosolymæ Cælestis gloriam consequi daretur. Alii confitebantur peccata sua, addito voto, se non amplius eadem commissuros esse. Alii facultates suas in pauperes, senes, infirmos largiter erogabant, satis divites se ipsos æstimantes, quod per Dei misericor-

ricor.

ricordiam illius diei lucem conspexif-
 sent. Alii nudis genibus nixi ad Loca ^{Sæculum XI.}
 Sacra adrepebant, nemo ab altero pieta- ^{A.C. 1099.}
 tis affectu vinci sustinebat. Episcopi &
 Presbyteri Sanctum Sacrificium in Eccle-
 siis pro populo offerebant, gratias Deo
 pro tanto beneficio agentes. Decre-
 tum, ut ille dies, qua Jerosolyma in po-
 testatem Christianorum rediisset, in per-
 petuum celebraretur. Cum Christiani
 indigenæ Petrum Eremitam, quem ante
 annos quatuor vel quinque Jerosolymæ
 versantem viderant, agnovissent, coram
 eo flectentes genua pro libertatis sibi
 redditæ beneficio gratum animum exhibebant.
 Patriarcha autem Jerosolymitanus tunc aberat,
 nam in Cyprum Insulam navigaverat, eleemosynas,
 ad pendenda tributa, quibus Mahometani ejus
 gregem opprimebant, collecturus, ne, si
 Barbarorum avaritiæ nihil darent, Ecclesiæ
 destruerentur. Unde eorum omnium, quæ
 Jerosolymæ acta fuerant, erat ignarus. (*)

c. 23.

Iii 3

§.LXVII.

(*) Ex his dispicimus, Christianis Principibus
 populisque in Occidente, ad expugnandam Je-
 rosolymam Regnumque ibi condendum, nec ani-
 mum nec vires defuisse, sed ad arcana soli Deo
 nota pertinere, quod gloriose parva infeliciter
 deinde amiserint.

Sæculum XI.

A. C. 1099

§. LXVII.

Godofridus Bullionius Rex.

Lib. XI. c. I. **O**ctiduo inter jubila consumpto, conveniunt Principes ad eligendum Regem, qui urbi & Regioni illi imperaret. Ipsi autem in clauso triclinio deliberantibus aliqui ex Clericis admitti petunt, moxque ingressi dixerunt: *Res Spirituales sunt Temporalibus præstantiores; quare existimamus, prius Patriarcham quam Regem eligendum esse. Si id contempnitis, quæcunque sine nostro consensu feceritis, nulla declarabimus.* Clericorum illorum Dux erat Episcopus Martoranensis ex Calabria, consentiente Arnulpho, Ducis Normanniæ Capellano, quem Patriarcham creare cupiebat, virum in toto exercitu moribus infamem. Ceterum inter Clericos Sacram militiam sequentes & pietas & Disciplina Ecclesiastica perierant, ex quo Adhemarus Episcopus Aniciensis, & Guilielmus Episcopus Arausicanus, qui alteri paucis diebus superstes fuit, fati functi fuerant.

Principes insuperhabita Clericorum seditiosorum comminatione, Regem Jerusalemæ elegerunt Godofridum Bullionium, Ducem Lotharingiæ, viri virtutem inprimis spectantes, nam inter eos non nulli tam Natalibus quam potentia
Gode-

Godefrido majores erant; sed eum præ ceteris pietas & fortitudo commenda-
bant. Rex Germaniæ Henricus tantam fiduciam in Godefrido posuerat, ut ei in pugna contra Rudolphum Vexillum Regium gestandum commiserit; quin ille ipse Rudolpho ictum lethalem intulisse dicebatur. Electum Principes sine mora ad Ecclesiam S. Sepulchri deducunt & Deo offerunt. Sed ipse noluit solemniter consecrari, nec portare coronam auream in illa urbe, in qua Jesus Christus spinis coronatus fuisset. Rex nihil antiquius habuit, quam curare, ut Divinum Officium rite perageretur. Capitulum Canonicorum in Ecclesia S. Sepulchri fundavit, rursusque aliud in Ecclesia Templi, censu congruo, & cellis prope illas Ecclesias singulis constitutis. Porro Ecclesia Templi erat Magna *Mosquita* Musulmannorum ab Omaro, in illo loco, in quo vetus Templum Judæorum steterat, extructa, octogona, tam in partibus internis quam externis marmore strata, opere tessellato & Musivo decorata. Tectum erat fornix rotundus, plumbo vestitus. Cum caperetur Jerusalem, in illa *Mosquita* plurimæ lampades aureæ argenteæque, resque aliæ immensi pretii inventæ. Præterea Rex Godefridus in valle Josaphat monasterium

Sæculum XI.
A.C. 1099.

c. 8.

Lib. VIII.

c. 3.

Sæculum XI.

A C. 1099

rium condidit, & incolendum dedit compluribus Monachis, ab ipso ex hujusmodi Cænobiis evocatis, in quibus Disciplina Regularis maxime vigebat. Hi toto piæ peregrinationis tempore ad Godefridi obsequium statutis horis diu noctuque Divinum Officium celebraverant.

Lib. IX. Anno millesimo nonagesimo nono ex-
c. 14. eunte Daimbertus Archiepiscopus Pisanus, Urbani II. Legatus, cum magno Cruciatorum ex Italia agmine Jerosolymam pervenit, & Festum Natalis Domini in oppido *Bethlehem* celebravit. Jamque Jerosolyma mensibus quinque in potestate Christianorum erat, cum necdum illi Ecclesiæ Patriarcha præfectus fuisset.

c. 4. Quamvis enim, electo Rege, statim Episcopus Martoranensis Arnulphum Capellanum a suæ factionis hominibus electum, favente eidem Duce Normanniæ, in possessionem Sedis immiserit, paucos tamen post dies molitionem temerariam dimittere coactus est. Itaque Patriarchali Sede, ut omnes opinabantur, vacante (nulla enim ratio Simeonis tunc in

c. 15.
Patriarcha
Jerosolymitanus
Latinus.

Cypro existentis habita fuisse videtur) Principes, qui Jerosolymæ supererant, congregantur, ut Præsulem eligerent. Re mature pensata, Daimbertum Archiepiscopum Patriarcham nominant, & investunt. Qua re peracta Godefridus & Prin-

Princeps Bœmundus, alter Regni Jero-^{Sæculum XI.}
solymitani, alter Principatus Antiocheni A. C. 1100.
Investituram a Patriarcha humili mente
petunt, & accipiunt, quod ita illum, cu-
jus Vicarius in terris existeret, eximie
coli crederent.

Haud multo post lis orta est inter Re-
gem & Patriarcham, qui affirmabat, Re-
gem Urbem Jerosolymam, Arcem, & et-
iam Urbem *Joppen* cum omnibus ditioni-
bus huc pertinentibus Deo donasse. Hinc
ut jurgiis nascentibus cito finem faceret
piissimus Rex, Ecclesiæ S. Sepulchri quar-
tam Regionem oppidi Joppensis tribuit,
atque hanc donationem publico Cleri-
corum & populi testimonio in Festo Pu-
rificationis anno millesimo centesimo fir-
mavit.

c. 16.

In Festo sequente Paschatis, quod in
primam diem Aprilis incidebat, pari mo-
do Patriarchæ dominium in Urbem Je-
rosolymam, turrim *David*, & circumja-
centem ditionem concessit, ea conditio-
ne, ut Rex Dominio utili tamdiu fruere-
tur, donec fines Regni sui, expugna-
tis una alterave urbibus, protulisset; si
vero interea sine prole decederet, omnia
in potestatem Patriarchæ redigerentur.

c. 19.

Ceterum in illis exordiis permodi-
cum erat Jerosolymæ Regnum; nam
postquam Principes, qui in bello Sacro

Sæculum XI
A.C. 1100.

militaverant, solutis Deo votis, in diver-
 sa sparsi, ad sua singuli redierunt, solus
 Godefridus & Tancredus superfuerunt,
 qui milites, vix trecentos equites, & bis
 mille pedites numerabant. Paucis ad-
 modum imperabant urbibus, quas inter
 difficillimum & periculosum commer-
 cium alia oppida, ab hostibus occupata,
 reddebant. Agros Mahometani tene-
 bant, qui cum Christianos pro atrocissi-
 mis hostibus haberent, eos in via depre-
 hensos vel jugulabant, vel servire coge-
 bant. Agriculturam quoque summa ne-
 quitia omittebant, quippe etsi & ipsi fa-
 mem sentirent, major tamen hostes pe-
 rimendi cupiditas, quam propriæ salutis
 cura erat. Sed nec in urbibus tuto de-
 gere Francis licebat, in quibus eos nec
 civium paucitas, nec muri labefactati sa-
 tis tuebantur, sed a latronibus noctu ir-
 rumpentibus domi suæ vel spoliabantur,
 vel necabantur; quapropter complures
 relictis omnibus nudi aufugiebant. Hæc
 illa tempestate erat Regni Jerosolymi-
 tani fortuna, quod tamen exinde per
 annos octoginta octo stetit.

FINIS TOMI XV.



INDEX